THADAEI PISONIS SOACIJ ... IN PRIMAM PANDECTARUM PARTEM...

Taddeo Piso, Giovanni Battista Coccini, Vincenzo Giannoni

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
8 B
10

13 - 8 - 10

Digitized by Google

Vinecky Gyennon

8° 191

~~XIX B 7~~

Digitized by Google

Digitized by Google

THADAEI PISONIS SOACII I. V. D.

IVRIS PONTIFICII OLIM IN PISANO, nunc in Patauino Gymnaſio


Ordinarij Pandectarum Profeſſoris

In Primam Pandectarum Partem

Commentaria.

AD ANDREAM MAVROCENVM Senatorem Illuſtriſſimum, atque Ampliſſimum, & Patauini Gymnaſij Moderatorem vigilantiſſimum.

Superiorum Permiſſu.



PATAVII, MDCXIII.

Apud Gaſparem Criuellarium, Typographum Almæ Vniuerſitatis DD. Artiſtarum.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQVE SENATORI, ET PATAVINI GYMNASII MODERATORI VIGILANTISSIMO ANDREÆ MAVROCENO.

Thadæus Piſo Soacius. S. P. D.

VEtus eſt, & communis conſuetudo, Senator Illuſtriſſime, vt ſuas quiſque lucubrationes iјs conſecret, quorum auctoritate, & ſplendore illuſtratæ in lucem prodeant. Hanc mihi conſuetudinem ſequenti, & reputanti, quem vnum è plurimis

Digitized by Google

clariſſimis viris deligerem, tu ſtatim occurriſti, cui multis nominibus deberi videbantur. Primum enim à pueritia ita omnes bonas artès imbibiſti, vt ne publicis quidem negotijs ſupra quam dici poſſit diſtricto vnquam exciderint: quin adeo ſint cordi, vt inter tot curas hiſtoriam rerum à Venetis geſtarum immortalitate digniſſimam conſcribas. Deinde leges ad quem potius irent, quam ad te? qui præfectus eis ferendis ferocem iſtam humanæ infirmitatis licentiam ad rectæ rationis imperium coegiſti; & quod eſt grauius, bello vitijs indicto, regulam vitæ, virtutiſque normam te ipſum præbuiſti. Qui ergo iuſtitiæ exemplo facem omnibus præluces, viſus es mihi in primis idoneus, qui hos qualeſcunque ingenij mei fœtus illuſtres. His adderem facundiam admirabilem cum ſingulari ſapientia coniunctam, eamque ob cauſam Reip. ſemper ſalutarem; humanitatem, liberalitatem, vno verbo omnes virtutes: ad extremum gentem clariſſimam, quæ cum innumeros tulerit heroes, tamen eſt, eritque in dies per te clarior. Hæc inquam adderem, niſi ſcriberem ad te, qui ſemper maluiſti facere laudanda, quam legere laudes tuas. Ego vero ſi hoc tenui munuſculo a te impetraro, vt me tibi addictiſſimum tuo patrocinio tegendum eſſe putes, maximum meæ in te obſeruantiæ fructum me cepiſſe

arbi-

Digitized by Google

arbitrabor. Deus Optimus Maximus te diutiſſimè ſeruet Reipublicæ Venetæ, & litterariæ bono.

Patauij

Pridie Idus Nouembris.

Digitized by Google

Digitized by Google

THADÆI PISONIS SOACII

In Primam Pandectarum Partem Commentaria.

Liber Primus Pandectarum.

Principiorum iuris quæ in quatuor primis libris continentur, duæ ſunt partes. Prima eſt iuris abſolutè conſiderati. Altera iuris ſuo obiecto accomodati.

Prima pars iuris abſolutè conſiderati, tria habet capita Primum caput eſt, de iuris ſubiecto & fine in Titulo.

De Iuſtitia, & Iure. Tit. I.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit iuſtitia.*
2 *Quid ſit Ius.*
3 *Quotuplex ſit Ius.*
4 *Quid ſit Ius naturale.*
5 *Quid ſit ius gentium.*
6 *Quotuplex ſit ius gentium.*
7 *Defenſio quo iure introducta*
8 *Moderamen inculpatæ tutelæ in quo conſiſtat.*
9 *Quid ſit ius ciuile.*
10 *Ius ciuile in quo addat, & detrahat iuri naturæ.*
11 *An alimenta iure naturæ debita denegari poſſint, & quomodo.*
12 *Vſucapio an ſit contra naturalem æquitatem.*
13 *Ius ciuile in quo addat, & detrahat iuri gentium.*
14 *Quot ſint Præcepta iures.*

QVID SIT IVSTITIA.

1 IVſtitia definitur in l. 10. conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi: & ſic per voluntatem, quia etſi duo ſint effectus iuſtitię, iuſta velle, & iuſta agere Eth. 5.

Digitized by Google

cap. 1. tamen actio poteſt impediri, voluntas non æquè; ideo non dicitur habitus tribuens, ſed voluntas tribuendi, & iuſtus eſt qui vult, non qui iuſta facit, aut iniuſta non facit, nam iniuſti quoque faciunt plerumque iuſta, aut iniuſta non faciunt. Sed neque iuſtus eſt qui modo vult, modo non vult ius ſuum cuique tribuere, ſed is demum qui ſic ab animo comparatus eſt, vt perpetuò ius cuique ſuum tribuere velit.

QVID SIT IVS.

Ius à iuſtitia dicitur & definitur in l. 1. ars boni & æqui, quia
2 æquum ab iniquo, & licitum ab allicito diſcernere docet.

QVOTVPLEX SIT IVS.

Ius duplex eſt publicum & priuatum. Publicum eſt, quod
3 ad ſtatum Reip. principaliter pertinet. Priuatum quod ad ſingulorum vtilitatem æquè principaliter ſpectat, licet, & illud priuatam, & iſtud publicam etiam vtilitatem reſpiciant d. l. 1. Rurſus priuatum diuiditur in Naturale, Gentium, & Ciuile.

QVID SIT IVS NATVRALE.

Naturale ius eſt quod natura omnia animalia docuit, & ho-
4 minibus con brutis commune eſt; vt eſt maris & fœminæ coniunctio quam nos matrimonium appellamus, quia quæ bruta incitatione naturali faciunt homines ratione facere debent, ad hoc vt iure naturali facere dicantur, liberorum procreatio, & educatio d. l. 1. §. ius naturale, & dicitur natura docuit, vt conſtet huiuſmodi ius non conſtitutione aliqua, ſed tantum natura haberi, cum illud idem ab alijs animalibus obſeruatum eſſe videamus, quæ non niſi natura ducuntur.

QVID

Digitized by Google

QVID SIT IVS GENTIVM.

Ius Gentium eſt, quod naturalis ratio inter omnes gentes con
5 ſtituit,& apud oēs peræquè populos cuſtoditur d.l.1. §. fin.

QVOTVPLEX SIT IVS GENTIVM.

Ius gentium duplex eſt, vnum quod ſola naturæ ratione exci-
6 tatur in homine, prout eſt, *erga Deum religio;* nulla enim
gens, vt inquit Cic. Tuſcul. Quæſt. lib. 1. tam fera eſt; & ne-
mo hominum tam immanis, cuius mentem non imbuerit
Deorum opinio, *vt parentibus & patriæ pareamus*, *l.2.* ita,
vt in priuatis parentibus, l. pen & fin. ff. de Poſtuland. in pu-
blicis patriæ magis debeamus, l.4. §. qui filium, ff. de re mi-
lit. & ideo ſi pater veniret contra patriam, filius non ſolum
tenetur defendere patriam, contra patrem, imò, quod vix
credibile videtur, tenetur etiam ipſum occidere l. minimè
35. infra de Religioſ. & ſumpt. funer. quod tamen intel-
ligo quando patria aliter ſe defendere non poſſet, quam per
mortem patris, & moueor auctoritate Cicer. qui lib. 3. offic.
quærens, an filius ſilere debeat ſi pater conetur tradere pa-
triam, reſpondet, quòd primo obſecrari debet patrem ne id
faciat, & ſi non proficiat, debet eum accuſare ſalutem pa-
triæ præponendo ſaluti patris. *Vt vim atque iniuriam pro-
pulſemus l. 3.* & hoc, quia vim tantum etiam alijs animali-
bus competit, ſed vim, & iniuriam ſolis hominibus conue-
nit, cum bruta quę ſenſu carent, iniuriam pati dici non poſ-
ſint, l. 1. §. 1. infra ſi quadrup. pauper. feciſſ. dicat.

Ex quo ſequitur defenſionem eſſe de iure naturæ, ac etiam de
7 iure gentium; quinimo & de iure ciuili, ac canonico;

De iure naturæ dicitur inquantum homo mouetur inſtinctu
naturali, quo cuncta animantia feruntur, ad ſe tuendum, &
vim illatam propulſandam, l. 1. §. cum vi, ff. de vi & vi ar-
mat. & d. l. 1. §. cum arietes infra ſi quadrup. pauper. feciſſ.
dicat, ſic Lucretius

Cornua nata prius vitulo quam frontibus extant,

Illis iratus petit, atque inſenſus inurget;

Et Propertius

Non ſolum taurus ferit vnces cornibus hoſtem
Verum etiam inſtanti læſa repugnat Ouis.

Dicitur de iure gentium inquantum homo mouetur ratione aliqua naturali, non ad vim tantum, ſed etiam iniuriam propulſandam.

Demum dicitur de iure ciuili & canonico inquantum homo vim, & iniuriam repellit con moderamine inculpatæ tutelæ; Quod moderamen conſiſtit. Primo circa ordinem actus; vt ſcilicet præcedat offenſa, vel ſaltem iuſtus timor offenſę, l.3. & 4. C. ad l. Cornel. de Sicar. l.5. infra ad l. Aquil.

8 Secundo circa modum, vt ſi armis vis inferatur; armis, ſi ſine armis, ſine armis, repellatur l.1. §. eum qui & l.3. §. cum igitur, ff de vi & vi armat. Tertio circa tempus, vt ſtatim & incontinenti durante rixa, & æſtuante ira vis repellatur, d. l.3. §. cum igitur. Quarto, vt defenſionis, & non vindictæ cauſa fiat, hoc eſt, vt tanta ſit repulſio, quanta eſt neceſſitas defenſionis, Bart. in l.1. C. vnde vi num.10. & ſeruato hoc moderamine licet vim inferentem repellere, & occidere, etiam in quocunque loco, puta in Aſylo, & templo, imò & coram venerabili ſacramento, vſque adeò vt per talem ſanguinis effuſionem locus, neque prophanetur, neque opus habeat reconciliatione Dec. in d. l.3. num.8. in fine, h.t. & ibi Mantua num.24. Silueſt. in verbo conſecratio. 2. num.5. Quinimo licet ſacerdoti rem diuinam celebranti intermiſſo officio aggreſſorem occidere & denuo non obſtante tali homicidio ad altare redire, & celebrationem inchoatam perficere Abb. in c. clerici il 1. de vit. & honeſt. cleric. Dec. in d. l.3 num.8 Bolognet. num.20. plures refert Farinac. de Homicid. quæſt. 125. Ampliat. 8. num.22. & 29. Atque Hinc Summ. Pont. in cap. ſi vero de ſentent. excommunicat. & Paul. 1. C. in l. ſcientiam, §. qui cum aliter, ff. ad l Aquil. dixerunt vim vi repellere, omnes leges, omniaque iura permittere. hinc & Ouid. lib.3. de Arte amandi, ait

Iudice

Digitized by Google

Iudice me fraus ſit conceſſa repellere fraudem
Armaque in armatos ſumere iura ſinunt.

Et Cicer. pro Milone dixit gladium ad occidendum hominem ab ipſis legibus porrigi ſe defendentibus.

Alterum ius gentium eſt, quod ex naturalibus illis principijs, vſu, & humanis neceſſitatibus exigentibus conſtitutum fuit; ex quo, *bella*, intelligite, ſi iuſta ſint, & rationi naturali conſentanea, aliàs ſi iniuſta eſſent ad ius gentium referri nõ poſſent, & iuſta dicuntur ſi propulſandæ iniuriæ, aut repetendæ rei cauſa facta ſint c. iuſtum & c. dominus 23. q. 2. Neque obſunt damna, & infortunia, quæ ex bellis pululare ſolent, quoniam non euentus, ſed rerum rationes per ſe penduntur, nec vnquam euentus creſcit, aut decreſcit honeſtum, vt apud Lucanum affirmat Cato lib. 9. & propterea Phillis apud Ouid. iuſtiſſimè imprecatur; careat ſucceſſibus opto quiſquis ab euentu facta notanda putat. Captiuitates, ſeruitutes, & hoc ne in bello capti occiderentur, ſed ſeruarentur, l. 4 infra de ſtat. homin. manumiſſiones, obligationes, & contractus ferè omnes prouenerunt, l. 4. & 5. h. t.

QVID SIT IVS CIVILE.

Ciuile ius eſt, quod vnaquæque ciuitas ſibi conſtituit, & quod neque in totum à iure naturali & gentium recedit, nec per
9 omnia ei ſeruit, ſed interdum aliquid addit, & interdum detrahit ad præſentium rerum neceſſitatem, naturæ theſes accommodando l. 6. 7. 8. 9. 11. & 12.

Addit ius ciuile iuri naturæ in educatione liberorum; nam pater de iure naturæ tenetur ſolum alere filios d. l. 1. At de iure ciuili tenetur etiam alere nepotes, & omnes deſcenden-
10 tes auth. ſi pater c. diuortio facto apud quem liber. educar. debeant, ac etiam vxorem filij, l. ſi filia, §. 1. ff. Famil. erciſc. item addit iuri naturæ in defenſione, nam lex ciuilis addit moderamen inculpatæ tutelæ, l. 1. C. vnde vi.

Detrahit ius ciuile iuri naturæ, quia pater de iure ciuili ſpurios & inceſtuoſos alere nõ tenetur auth. ex complexu, C. de inceſt. nupt. licet ſecus ſit iure canonico, c. cum haberet de

eo

Digitized by Google

eo qui duxit quam prius polluit per adult. Item detrahit in caſibus qui enumerantur in §.aliud quoque capitulum Auth. vt cum de appellat. cognoſcit ex quibus ſicut filius poteſt exheredari, ita & alimenta ei denegari poſſunt d.auth. vt cum, ſed cum iuris naturæ perpetua & immutabilis ſit vis, §.vlt.inſtit.de iur.nat.gent. & ciuil. quomodo alimenta
11 filijs voce ipſa naturæ debita denegari poſſunt? Reſp.quod ius ciuile non prohibet expreſsè,nec tacitè dari alimenta filijs ex inceſtis nuptijs procreatis, nec rurſus iubet dari; ſed ſolum neceſſitatem dandi alimenta ex lege ciuili proueniens adimit eamque in ſolo iure naturæ & naturali impulſu relinquit, nec enim dixit lex,nec potuit dicere, alimenta filio ex coitu nefario ſuſcepto, non dari patet hoc ex auth. licet, C.de natural. liber.ibi. omni prorſus beneficio ſecludantur, ſcilicet, ciuili, & in eadem auth.ex complexu, ibi, omnes paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio, ſcilicet, legis ciuilis, quæ non præcepit neceſſariò vt alantur,ſicut alij filij regulariter. Silet enim in hoc lex ciuilis, relinquens hoc in ſolo iure naturæ. Et Ratio legis ciuilis eſt, ne rem adeò nefariam aliquo modo probare videatur, & ſic impulſum illum naturæ quo tacitè impellitur pater,vt filijs ſuis etiam ex coitu nefario habitis conſulat, lex ciuilis, nec attingit, nec adimit.

Quod quidem maximi momenti eſſe poterit, circa confirmationem quod legitima in totum auferri poſſit: nam rapimur quidem impellente natura, vt filio proſpiciamus: nullam tamen vim, niſi tacitam, & quæ altius in noſtro pectore eſt infixa, natura affert. ſed neceſſitas circa ipſam legitimam relinquendam à lege ciuili exorditur; nec ob id dicemus eſſe naturæ, quia hac ratione omnia naturæ tribuere neceſſe eſſet. Cæterum quod Accurſ.dicit in d.l.6.h.t. iuri naturali detrahi, in vſucapione, cum contra naturalem æ-
12 quitatem ſit, rei meæ te eſſe dominum. Hoc exemplum cõmuniter à Doctoribus reprehenditur,quia dominia ſunt de iure gentium ſecundario, vnde rem meam à te poſſideri potius dedit ius gentium,quàm naturale, cùm iure naturali omnia eſſent communia ſic Horatius

Nam

Nam propria telluris herum natura, nec illum,
Nec me, nec quenquam ſtatuit.

Denique non eſt verum quod vſucapio ſit contra naturalem æquitatem, quia imò æquum, & bonum, ac vtile eſt, vt rem quam quis diu, iuſto titulo & bona fide quiete poſſedit, ab eo non auferatur, ne dominia rerum, diu, & ſemper in incerto maneant, & vt aliquis tandem litium ſit finis, l. fin ff. Pro ſuo, qua de cauſa & Cicero pro Cecina, finem ſolicitudinis vſucapionem dixiſſe puto; maximè enim noſtra intereſt litibus non vexari, vt ſcribit Vlpianus in l. minoribus 25. annis, ff. de minorib. nam vt Martialis ait, hæc ſunt quæ vitam beatiorem faciunt.

Res non parta labore, ſed relicta
Non ingratus ager, focus perennis
Lis nunquam, toga rara, mens quieta

Hinc & illud effertur.

Sit nox con ſomno, ſit ſine lite dies.

Ius ciuile addit iuri gentium, quia de iure gentium in teſta-
13 mentis ſufficiunt duo teſtes, ſicut in quolibet actu, cum in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum l. vbi numerus infra de Teſtib. quod & iure canonico receptum eſt cap. relatum de Teſtam. At ius ciuile addit ſeptem teſtes, & alias ſolēnitates de quib. in l. hac cōſultiſſima, C. Qui teſt. facer. poſ.

Detrahit ius ciuile iurigentium quo ad dominicam poteſtatem quæ de iure ciuili fuit reſtricta l. 1. & 2. infra de his qui ſunt ſui, vel alien. iur.

QVOT SINT PRAECEPTA IVRIS.

Iuris præcepta tria ſunt l. 10. *honeſte viuere*, quod ad mores propriè pertinet, vt omnes noſtræ actiones ita inſtituantur, quemadmodum ratio ſuadet, & ne quid contra honeſtatem faciamus, l. 197. ff. de Regul. iur. *alterum non lædere;* quod intelligitur, nec in corpore, nec in fama, nec in bonis, nam fama, & vita æquiparantur l. iuſta, ff. de manumiſſ. vindict. & bona altera homines vita cenſentur l. Aduocati & ibi Gloſſa in verbo vitam, C. de Aduocat. diuerſ. iudicio-

rum,

rum, *& ſuum vnicuique tribuere*, quod tam diſtributiuam, quam commutatiuam iuſtitiam reſpicit. Diſtributiua diſtribuit pœnas, & prȩmia pro ratione meritorum, & pro qualitate perſonarum, l. 6. ff. ad l. Iul. peculat. l. 16. ff. de Pœnis & l. 1. infra de offic. perfect. prætor. Commutatiua æqualitatem ſeruat in contractibus & commutatione rerum, nulla habita diſtinctione, nec inſpecta perſonarũ qualitate. Secundum caput iuris abſolutè conſiderati, eſt, de iuris initio & progreſſu. Item magiſtratuum, & prudentium ſucceſſione, in Titulo.

De Origine iuris & omnium Magiſtratuum, & ſucceſſione prudentium.

Tit. II.

SVMMARIVM.

1 *Prima lex naturæ.*
2 *Secunda lex gentium.*
3 *Tertia lex ciuilis.*
4 *Quomodo cognoſcatur ius ciuile à iure gentium.*
5 *Romani iuris origo.*
6 *Romuli leges*
7 *Legati Athenas ad accipiendas leges miſſi.*
8 *Decem Tabularum leges.*
9 *Leges 12. Tabularum.*
10 *Leges Populi.*
11 *Plebiſcita.*
12 *Senatus conſulta.*
13 *Prætorum edicta.*
14 *Principum Placita.*
15 *Reſponſa Prudentum.*
16 *Succeſſio Magiſtratuum.*
17 *Reges.*
18 *Tribunus Celerum.*
19 *Conſules.*
20 *Cenſores.*
21 *Dictatores.*
22 *Magiſter æquitum.*
23 *Tribuni Plebis.*
24 *Aediles.*
25 *Egregium dictum Scipionis Africani dum Aedilis crearetur.*
26 *Quæſtores.*
27 *Decem viri*
28 *Tribuni militum.*
29 *Prætor Vrbanus.*
30 *Prætor Peregrinus.*
31 *Centum Viri.*
32 *Quatuor Viri.*

Trium

33 *Trium Viri monetales.*
34 *Trium viri capitales.*
35 *Quinque viri.*
36 *Præfectus vrbi.*
37 *Præfectus annonæ.*
38 *Præfectus vigilum.*
39 *Prudentum ſucceſſio.*
40 *Nomina eorum I.C. qui in latenti ius ciuile retinebant & ſolum conſultoribus ſe præſtabant.*
41 *Nomina eorum I. C. qui publicè profeſſi ſunt.*
42 *Singulare dictum Publij Rutilij Rufi.*
43 *Atteius capite & Antiſtius labeo diuerſas ſectas, & factiones induxerunt.*
44 *Caſſianorum, & Proculianorum factio.*
45 *Nomina eorum I. C. qui à Pōponio nō enumerantur.*
46 *Tempore Iuſtiniani immenſa erant legum volumina.*
47 *Iuſtinianus ad leges componendas animum applicuit, & in primis Codicem compoſuit.*
48 *Deinde Pandectas & Digeſta euulgauit.*
49 *Poſtea inſtitutiones.*
50 *Denuo Codicem emendauit, & repetitam Codicis editionem appellauit.*
51 *Ac demum nouellas conſtitutiones, ſeu Authenticorum librum edidit.*
52 *Feudorum conſuetudines.*
53 *Legum Romanarum libri longo tempore amiſſi tandem reperti fuerunt.*
54 *Extrauagantes.*

HIs qui iuri operam dare cupiunt ante omnia neceſſarium eſſe iuris ipſius originem, & progreſſum intelligere, demonſtrat Pompon. I.C. in l.2.h.t. Ideo vt antiquitatis nihil penitus ignoretur, operæpretium & ego facturus videor, de iuris Romani origine dicturus, ſi paulò altius, & quaſi ab ouo vt dicitur ſermonem ſumpſero.

Principio quo Deus creauit cœlum & terram, ſtatim atque cuncta facta fuerunt, orta, & inuenta fuit prima lex quæ naturæ dicitur, & primum ius quod naturale appellatur, ex
1 quo cum aliqua prouenerint quę hominibus con brutis cōmunia ſunt, & alia quæ hominibus tantum competunt, factum fuit etiam, vt à Doctoribus noſtris diſtingueretur in primæuum, & ſecundarium.

Primæuum ius naturale comprehendit in ſe quoddam naturale inſtitutum iuſtum, & bonum à natura cuique animali

Digitized by Google

tributum, prout eſt, maris & fœminæ coniunctio, liberorũ procreatio, & educatio de quo in l. 1. ſupra de iuſt. & iur. Secundarium continet effectus quoſdam naturali ratione inductos, & ſine aliqua gentium conſtitutione hominibus datos, prout eſt, erga Deum religio, vt Parentibus & Patriæ pareamus, vt vim atque iniuriam propulſemus de quo in l. 2. & 3. eod. tit. & hoc ſecundarium naturale ius à Doctoribus etiam gentium dicitur, ſed primæuum, vt intelligamus differre ab eo, quod poſteriore tempore poſteà vſu, & humanis neceſſitatibus exigentibus conſtitutum fuit, & de quo inferius dicemus. Et ſic dicitur naturale, quia à natura hominibus datum eſt, & dicitur naturale ſecũdarium, quia ſola naturæ ratione excitatur in homine, nec hominibus con brutis commune eſt. Et dicitur poſtea gentium, quia eo omnes gentes vtuntur; & primæuum, quia primò æuo, & prima ætate vigere cœpit, ſic Helenor apud Virgil. Aeneidos lib. 9. primæuus appellatus eſt, eo quod adhuc primo æuo, ſeu ætate prima floreret ibi.

. . . . Quorum primæuus Helenor
Mæonio Regi, quem ſerua Licinia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis.

Et ſic ſecundum hanc legem naturæ, & ſecundum hoc ius naturale vixerunt homines primo illo ſeculo, & prima illā ætate, quam Poetæ auream dicunt, & de qua Ouidius.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectumque colebat.
Pœna, metuſque aberant, nec vincla minacia collo
Aere ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.

Tunc enim mortales, vt Tacitus lib. 3. ſcribit, ſine probro, & ſcelere viuebant: diſperſi per agros vagabantur, in altis cacuminibus montium degebant nihil proprium, res omnes communes non ſecus, atq; aer, imbres, & maria habebant, terramque mare, Cœlum Solem, ſtellas, & quæcunque hac mundi machina continentur cõmuni gaudio poſſidebant. De rebus ad victum ſpectantibus nihil erat quod ſoliciti eſſent, ſi quidem, tunc & lactis copia erat maxima, & variç inſuper

ſuper

ſuper venationes victum facilè præſtare poterant, quanquam permultos etiam montanis fragis, glandibus, cornis, moris, alijſque fructibus agreſtibus fuiſſe contentos credendum eſt. Sicque arbitratur Ouid. cum inquit.

Contentique cibis, nullo cogente creatis
Arbutos fœtus, montanaque fraga legebant
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis
Et quæ deſiderant patula prius arbore glandes.

Veſtitus prӕterea ipſis deeſſe non poterat, cum pro veſtitu pellibus ferinis vterentur, domibus nec etiam indigebant, quippe qui arborum truncos, aut certè antra habitabant, ut Cyclopas feciſſe Homerus ſcribit, ibi,

Concilium ijs nullum eſt, ijs nulla forentia Prætor.
Iura dat, obſcurum, ſed in altis montibus antrum
Soli habitant, nihil hos aliena negocia tangunt
Vxori tantum & natis ius dicere docti.

Et ſic faciebat illorum hominum probitas, uitæ innocentia, tum & bonorum omnium communio, ut nullis humanis legibus indigerent, nullis magiſtratibus, nullis denique Regibus ſubijcerentur. Sed ut Ouidius Faſt. 1. ſcribit.

Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.
Nullus erat iuſtis reddere iura labor.

Et quidem ut Apoſt. Paul. ad Romanos cap. 2. ſcribit; Gentes, quibus nulla lex data eſt, ſibi ipſis lex ſunt, ſi modò naturalis rationis præſcriptum obſeruent. Ea enim quid ſequendum, & quid fugiendum ſit, optimè oſtendit, honeſtè uiuere, alterum non lædere, & ſuum unicuique tribuere docet. Quin ea eſt rationis naturalis uis ut omnia, quæcunq; etiam iniuſta facimus, omni tamen ſtudio honeſtare contēdamus. Quare ſæpè erratis noſtris ſpecioſa nomina imponimus, turpiſſima quæque uitia proximæ uirtutis colore decoramus, vt ſi minus alijs, ſaltem nobis met ipſis rectè nos feciſſe perſuadeamus. Id quod nulla alia re apertius demonſtrari poteſt, quàm Medeæ exemplo apud Ouidium. Norat ſiquidem Medea, idque ipſa palam vſurpabat, Regna Patris non eſſe prodenda, vnde ait.

Prodam ne Regna parentis.

Norat patriam non eſſe relinquendam, ſed vt prodito patre, ac propria terra relicta Iaſonem ſequeretur clementiam, & humanitatem ſibi eſſe fingit, iuuenem, virtute, generis nobilitate, & forma inſignem, à draconis morſibus, & immaniſſima morte liberare. Propterea ſic ipſa ſecum loquitur.

Quem niſi crudelem non tangat Iaſonis ætas
Et genus, & virtus?

Et poſt

Hoc ego ſi patiar, tum me de Tigride natam
Tum ferrum, & ſcopulos geſtare in corde fatebor.

Atque his quæ de patre & patria dixerat ſibi ſuccurrit, ſecumque ipſa ita reſpondet

Nempè pater ſæuus, nempè eſt mea barbara tellus.

Verum, licet ratio noſtra quandoque ijs ſenſuum illecebris deprauetur, non per hoc tamen naturæ bonitas vincitur, nec ſuum explere munus ceſſat, ſed aſſiduè intus clamat, noſtrum nobis ſcelus continuè exprobat, conſcientiæque ſtimulis vſque adeò nos vexat, vt non modò quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine continuo animi angore valeamus. Audite eandem Medeam naturæ vi coactam ſibi ipſi reſpondentem.

Coniugiumque ne putas, ſpetioſaque nomina culpæ.
Imponis Medea tuæ? quin aſpice quantum
Aggrediare nefas, & dum licet effuge crimen.

Non ſecus infœlicis Mirræ, cui obſeno patris amore incenſæ, antequam ſe obfirmaſſet, vt illud ſceleſtiſſimum facinus aggredi vellet; ratio omnia illa ſuggerebat, quæ tam nefariæ libidinis impetum coercere poterant, pudorem ſcilicet, pietatem, & ſacrata parentum iura.

Illa quidem ſentit, fædoque repugnat amori
Et ſecum quo mente feror? quid molior (inquit)
Dij (precor) & pietas, ſacrataque iura parentum
Hoc prohibete nefas, ſcelerique reſiſtite noſtro.

Sic & Altea apud eundem Ouid. poſt eius fratres à Meleagro filio interfectos, cum prius cōtra filium ira percita dixiſſet.

Pereat ſceleratus & ille
Spemque patris regnumque trahat, patriæque ruinam,

Tum

Digitized by Google

Tum ſtatim quaſi contrario æſtu rapta ſubijcit

Mens vbi materna eſt? vbi ſunt pia vota parentum.
Hei mihi quo rapior? fratres ignoſcite matri.

Et paulò poſt.

Et cupio, & nequeo, quid agam, modò vulnera fratrum.
Ante oculos mihi ſunt, & tantæ cędis imago.
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt.

Hoc eſt illud quod nobis Ariſt. ſignificat Ethic. 3. cap. 1. dum concludit, malos iniuſtoſque homines (quamuis ignorantes eos dici velit) non tamē operari propter ignorationem, quippe quod nulla præcedat ignoratio, quæ illis electionem adimat, ſed ipſimet propria electione ſibi ipſis rationis vſum deprauent ſic Medea apud eundem Ouidium.

Video meliora proboque
Deteriora ſequor.

Et paulò poſt

Quid faciam, video, nec me ignorantia veri
Decipiet, ſed amor.

Quemadmodum igitur illi qui dormiunt, aliquando à ſomno excitantur, ſic mali & incontinentes homines, vt idem Ariſt. Ethic. 7. cap. 3. ſcribit cum primum in ipſis ceſſat cupiditas, eoq; vinculo ſoluti, legis naturalis munus libere exercere poſſunt, tunc errata ipſi ſua clarius perſpiciunt, tunc terrores illi, animæque vexationis inſurgunt, atque aſſiduæ illæ domeſticæque furiæ quibus qui ſceleſte aliquid patrarunt, quaſi furiarum tedis ardentibus, (quemadmodum Poetæ ſumma con ratione fabulati ſunt) cruciantur, vt de oreſte, & alijs exempla non incognita ſunt.

Ex quo fit, vt vel ſi in alijs iudicijs Tres illæ perſonæ inter ſe differt debeant Accuſator, Reus, & Iudex cum vel lege Iulia agitur, vel Pompeia, Cornelia ve, aut alijs eiuſmodi, quæ ab hominibus latæ ſunt.

Tamen cum hac lege naturali agendum eſt, tunc vnuſquiſque ſolus in ſe ipſo formam iudicij quandam inſtituit, ſe ipſum tacitus accuſat, ſemetipſum denique condemnat, adeoque ſeuerum ſui ipſius iudicium experitur, vt vel ſi à quocūque alio iudice abſoluatur ipſo tñ iudice abſolui nunquam poſ-

ſit.

ſit, & vt eleganter Iuuenalis his verſibus attingit.

Exemplo quodcunque malo committitur ipſi
Diſplicet authori, prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur.

Hæc eſt legis naturalis virtus, hi ſunt igniculi à natura hominibus dati, hæc ſunt virtutum ſemina, de quibus tot in locis Cicero loquitur.

Verum cum homines poſtea ex agris & ſyluis, vbi prius vt diximus diſperſi vagabantur, unum in locum deduci, ac congregari cœpiſſent, & à fera, agreſtiquę uita ad hominum cultum deducerentur, quod ſapientiorum quorundam opera, & facundia factum fuiſſe, credendum eſt, qui cum probè cognoſcerent, quanta animis hominum ad res maximas gerendas opportunitas eſſet, eos à fera, aggreſtique uita ad hominum cultum deduxere. Idque ſuſpicor eſſe quod de Orpheo, & Amphione Poetæ fabulati ſunt. Eos nimirum Lyræ, & carminum ſuauitate, ſaxa, & feras demulſiſſe, atque unum in locum ad ſe aduocare ſolitos fuiſſe, ut rectè pulchrè Oratius.

Sylueſtres homines ſacer, interpreſque Deorum.
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ab hoc lenire Tigres, rapidoſque Leones
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Factum fuit etiam, vt res proprias quærere diuitias ſibi comparare, contrahere, & alia ſimilia facere inciperent, quæ vſu, & humanis neceſſitatibus exigentibus ſic conſtituta, &
2 apud omnes gentes obſeruata, iuris gentium dici cęperunt. Quod ſecundarium poſtea à Doctoribus dictum fuit vt ab eo quod vna con ipſo genere humano rerum natura prodidit, dignoſcatur.

Atque hinc bella orta ſunt, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ędificia collata, commercia, & contractus ferè omnes prouenerunt l. 5. ſupra de iuſt. & iur. captiuitates, ſeruitutes, manumiſſiones, & ſimilia, de quibus in l. 4. eod. tit. Hinc Seneca in Octauian.

Dete-

Deterior ætas eruit ferrum graue
Aurumque ſæuas mox, & armauit manus
Partita fines, Regna conſtituit, nouas
Extruxit vrbes.

Et ſic ſecundum hanc legem, & naturæ & gentium, vixerunt homines vſque quo ciuitates condi, & magiſtratus creari cœperunt. Nam conditis poſtea ciuitatibus & hominibus ab antiqua illa probitate, ad vitia, & ſcelera pronius declinantibus, tutius etiam iudicatum fuit, leges ciuiles
3 condi, quæ cupiditate vacarent, ſurde, ac inexorabiles, cunctiſque æquales eſſent. pœnis inſuper, & prẹmijs opus fuit, vt illorum propoſitione allecti, virtutem cuperent homines, vel coercionibus perteriti ab iniuſti via reuocarentur vt dicitur in l. 1. ſupra de iuſt. & iur. Atque hinc Aſtream Iouis filiam ad patris latus collocatam, & criminum pœnas continuè exigentem, vt qui plectitur, melior fiat, vel alijs exemplo ſit, veteres fabulati ſunt, vt Plato in Gorgia refert, hinc etiam Oratius.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Et ſic non tantum mœnijs contra vim externam, ſed etiam legibus contra ciuium improbitatem, ciuitates, atque oppida munire opus fuit, vt rectè idē Oratius ſatyra. 3. dixerit.

Oppida cœperunt munire, & condire leges
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis Adulter.

Atque ita Tres leges, & Tria iura eſſe cœperunt. Naturale, Gentium, & Ciuile.

Sic etiam Plato, & Ariſtoteles ſocietates nonnullas ciuilis diſciplinæ quaſi figuras nobis ante oculos poſuerunt, quibus quaſi gradibus, Ciuitatum gubernacula, & Imperia ad hūc quem nunc videmus ſtatum, paulatim perducta fuerunt.

Prima ſocietas inter mortales ſecundum naturam conſtituta fuit, eamque Ariſt. 1. Polit. cap. 1. domum, ſeu familiam appellat. ſed cum poſtea numero hominum paulatim excreſcente ex ſingulis domibus plures domus, & familiæ factæ eſſent.

Secunda ſucceſſit ſocietas, quam idem Ariſt. Pagum appellat.

Tan-

Digitized by Google

Tandem ſicut pluribus domibus ſimul iunctis Pagi fuerant conſtituti, ita ijſdem planè de cauſis ipſi quoque Pagi ſimul iungi cœperunt, ſicque.

Tertia ſocietas, conglata fuit, quam Ciuitatem appellamus, & in qua Ciuiles leges conſtitutæ fuerunt.

Quæ triplex partitio à triplici etiam hominis conſideratione emanaſſe videtur.

Primo namque homo conſiderari poteſt, tanquam animal inquantum ex communi naturæ affectione & inſtinctu mouetur, & tunc correſpondet ei ius naturæ.

Secundo poteſt conſiderari tanquam Homo, humanæ ſcilicet, conditioni, & neceſſitati ſubiectus, & tunc correſpondet ei ius gentium.

Tertio poteſt conſiderari tanquam ciuis, quatenus mouetur iuxta pręcepta & inſtituta Ciuitatum, & tunc correſpondet ei ius Ciuile, quod nihil aliud eſt, niſi ius propriũ Ciuitatis.

Quare ſi lex vetet furari, & pœnam fuſtigationis addat furanti non per hoc tamen prohibito furti, erit iuris Ciuilis cum non ea propria ſit eius Ciuitatis; ſed communis omnium
4 Gentium; pœna vero Ciuilis erit, & propterea etiam ſi eandem pœnam poſtea ſequantur vicinę Ciuitates, moxque reliqui deinceps populi, non hoc ſupplicij genus iuri gentium adſcribendum erit, tametſi apud omnes gentes obſeruetur, cùm imitatione potius & exemplo, quam naturali ratione id faciant, ſiquidem id iuriſgentium eſſe dicitur, in quod omnes gentes naturali iudicio conſentiunt, & quod poſtquam cognitum eſt, ſtatim ab omnibus non modo vt factum, ſed vt probè, & iuſtè factum comprobatur, veluti de bello, & belli iure inducta ſeruitute: nemo enim fuit, qui vim vi repellere, arma armis opponere, res ablatas bello repetere, victos quos occidere fas erat ſeruare, & ſeruatos in punitionem eorum, qui finitimas gentes bellis iniuſtis perſequebantur, victoribus ſeruire æquum eſſe non exiſtimauerit. Idem & de emptione dicendum eſt, & licet Paul. I.C. in l. 1. ff. de contrah. empt. neget vſum emptionis Troiani belli temporibus fuiſſe cognitum, idque Homeri teſtimonio comprobet, per hoc tamen non ſequitur emptionem eſ-

ſe iu-

Digitized by Google

ſe iuris ciuilis quia poſterius introducta quoniam, & manumiſſionem, quam tamē iuris gentium eſſe conſtat, Tullum hoſtilium quod ancilla genitus eſſe putaretur, primum induxiſſe Halicarnaſſeus ſcribit. Ex quo ſequitur ius gētium, & Ciuile non antiquitate, & ordine temporum diſtingui, ſed vſu, & ratione, nam in quo gentes omnes naturali iudicio conſentiunt ius gentium appellatur, tametſi poſteriore tempore fuerit cognitum; vt numo reperto nemo fuit, qui eo poſtea vſus non ſit, quod eum videret rebus contrahendis neceſſarium, ex quo emptio fluxit: Hodieque etiam ſi quid noui excogitaretur, quo agnito ſponte ſua & libenter omnes vterentur, diceretur eſſe iuriſgentium: quia ratio naturalis id apud omnes gentes conſtitueret. Sicut nec ſi qui ſint populi rudes & barbari, qui vſum emptionis non habeant, non ideo minus iuriſgentium cenſenda erit, cum nōnulli adhuc eſſe dicantur, qui nullos contractus norūt, quia omnia ſint inter ipſos communia: neque propterea hos contractus iurigentium denegare oportet.

Romani Iuris Origo.

Tres olim Ciuitates fuerunt, quæ particulariter iura Ciuilia ſibi conſtituerunt, ſcilicet, Athenienſium, Lacedemoniorum, & Romanorum, Athenienſes iure ſcripto, Lacede-
5 mones non ſcripto, nempe conſuetudine. Romani verò Athenas, & Lacedęmona, duo Græciæ lumina imitati, partim ſcripto, & partim non ſcripto, vſi ſunt §. ſine ſcripto inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. Quod vt & clarius intelligatur, ſciendum eſt quod.

Principio vrbis Romæ, Populus Romanus ſine certo iure, & ſine certa lege viuebat arbitria Principium pro legibus erant l. 2. in principio hoc Tit. ſed aucta aliquantum Ciuitate Romulus, qui primus Romanorum Rex fuit in primis iuuentutem Romanam in claſſes militares, & legiones diuiſit, quarum ſingulæ, tria millia peditum, & equites trecentos continebant. Inde poſtea ex optimatibus centum Senatores creauit, qui, & Patres honoris gratia, eorumque

Digitized by Google

progenies Patricij dicti fuerunt, pauloque poſt adſcriptis in eorum ordinem pluribus alijs, Patres conſcripti dici cœperunt, vt Plutarchus in Romulo, & Liuius lib. 1. tradunt.

Demum, totum populum, in tres partes diuiſit, quas Tribus vocauit, ſinguliſque Tribus, ſingulos præfecit Duces, quos Tribunos vocauit, &

Rurſus, ſingulas Tribus, in decem alias partes, diuiſit, quas Curias nuncupauit, eiſque ſuos fortiſſimos Duces, Curiones appellatos, deſignauit.

Cæterum, denuo Curias, in Decurias diuiſit ſinguliſque Decurijs, ſuos Duces conſtituit, quos Decuriones nuncupauit.

Atque tandem, & quinque aliæ ſuperadditæ fuerunt. Curiæ, & ita Romæ trigintaquinque Curias fuiſſe Aſcon. Pedian. 2. verr. & Appian. De Bello Ciuili lib. 1. tradunt.

Romulus igitur populo curiatim vocato, leges nonnullas rogauit, quas à Curijs, Curiatas appellauit, inter quas illa vehemens fuit; Quæ, omnem vitæ, neciſque poteſtatem patri in filium conceſſit. Illam quoque pertulit, Ne bello captæ vrbes euerterentur, aut in ſeruitutem redigerentur. De Dijs immortalibus, non niſi optima, & ſentire, & loqui iuſſit. Cumque Sabinum bellum, prudentia raptarum mulierum extinctum vidit: Fœminis honorem lege lata detulit; Vt mulieri deambulanti prior à viro locus concederetur. Vxoremque dum per ſacras leges viro coniuncta eſſet rerum omnium ſociam con marito fecit Plutarchus in Romulo & Halicarnaſ. Antiquit. lib. 2.

Tulerunt leges, & ſequentes leges, puta, Numa Pompilius, Tullus Hoſtilius, Ancus Martius, Tarquinius Priſcus, Seruius Tullius, & Tarquinius Superbus, in quo tandem Regia dominatio extincta, & in conſularem conuerſa fuit.

Has regias leges Sextus Papyrius poſterorum memoriæ commendauit, conſcriptoque ea de re nominatim libro, Papyrianum dixit ut traditur in d l. 2. §. 1. hoc Tit.

Sunt qui putant, licet mendoſè, hunc Papyrium fuiſſe, illum, qui puer adhuc matrem nimis anxiè percunctantem, quid in Senatu ageretur, (tunc enim mos erat prætextatos filios cum patribus in Curiam ire) feſtiuo mendacio deluſit, diſceptatum

pratum in Senatu dicens; Vtrum eſſet utilius, una potius, ut duobus nuberet, An vnus duas vxores haberet. qua de re Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 6.

Exactis igitur Regibus, Tarquinio, ſcilicet, ſuperbo, & alijs, qui poſt eum futuri erant, Lucio Iunio Bruto Suaſore, & Duce, ob iniuriam nocturna vi à Sex: Tarquinio ſuperbo illatam in Lucretiam caſtiſſimam, & nobiliſſimo genere ortam;

Omnes Regiæ leges etiam exoleuerunt. Tanto enim in Regiam poteſtatem Iunius Brutus odio flagrauit, tamq; exoſum regium nomen Populo, viſum fuit, vt non modo Reges verum etiam eorum leges, & decreta aboleri voluerit.

Sicque iterum Populus incerto magis iure, & conſuetudine vti cœpit, Conſuleſque ut Rei P. conſulere poſſent duos creauit d. l. 2. §. exactis. Qui fuere Lucius Iunius Brutus, qui tantum gloriæ in explodendis Regibus meruit, & Lucius Tarquinius collatinus ſtupratæ Lucretiæ maritus.

Verum cum Plebs, varijs iniurijs, & præſertim creditorum malignitate, qui corpora debitorum pro ſeruis detinebant, ſtimulata eſſet; Nec Primores patrum, apud quos ſæpè cõqueſta erat, auxilium ferrent; tanquam à Senatu Conſulibuſque premeretur, cum delectu militum anno à pulſis Regibus ſexto decimo Sicinio Auctore ſeceſſit, ſacrumque montem inſedit armata, ubi per aliquot dies ſe continuit, donec Menen Agripa ad Plebem miſſus Orator, uir ſanè facundus, & quod inde oriundus eſſet, Plebi carus, iram Plebis in patres leniuit, in conditioneſque itum eſt, vt duo ex Plebe Magiſtratus crearentur, qui ueluti defenſores Plebis, aduerſus Patricios, & Conſules eſſent, & nulli patrum, eum magiſtratum capere liceret. Sicque Duo Tribuni Plebis creati fuerunt. C. Licinius, & L. Albinius.

Item ut debitores inopes ſolutione liberarentur, & ſi quorum corpora legitimo tempore detinerentur, libera eſſent Halicarnaſ. lib. 6. & hæc fuit prima Plebis à Patribus ſeceſſio.

Atque ita Plebs & Patres, inteſtinis, & quotidianis ſeditionibus agitati, nullis certis legibus, nulla certa conſuetudine uiuebant.

Sed cum hominum inſtituta, niſi publica auctoritate firmentur, variare, atque ad vulgi libidinem fluctuare ſoleant, viſum fuit, Ciuitatem certis legibus fundari, eaſque exteras, vt omnis inuidiæ prætextus recideretur, aduocari placuit Liuius lib. 3. In legibus enim ſalus Populi poſita eſt, & vt corpora noſtra ſine mente, ſic Ciuitas ſine lege, vt Cicero pro Cluentio ſcribit, ſuis partibus, & neruis, ac ſanguine, vti non poteſt.

Inſtructis igitur ex publico triremibus Tres legati Athenas miſſi fuerunt, qui inclytas Solonis leges ſcriptas ferrent, iura etiam, & mores aliarum Ciuitatum, maximè Lacedæmoniorum noſcerent, & fuere Sp. Poſthumius Albus, Aulus Manilius, & P. Sulpitius Camerinus.

Athenienſes vt tradit Accurſ. in d.l.2. §. exactis in verbo conſtitui, non ſtatim copiam ſuarum legum Romanis facere, ſed prius explorare voluerunt, An digni eſſent ſuis legibus, ad quod explorandum miſerunt quendam ſapientem Græcum Romam. Quod quidem præſcientes Romani, decreuerunt eum irridere, obtuleruntque ei quendam ſtultum Romanum. Græcus credens illum ſibi obiectum ſapientem eſſe, cœpit cum eo diſputare, nutu, & ſignis. & eleuauit vnũ digitum, ſignificans in corde ſuo vnum eſſe Deum; At ſtultus credens, quòd ſibi vellet eruere oculum, eleuauit duos digitos, & etiam pollicem, & ſic tres, dicens in corde ſuo, ſi vis mihi eruere vnum oculum, ego eruam tibi duos. At Gręcus ſapiens credidit, quòd de Trinitate intelligere vellet. Ideo iterum ſapiens oſtendit illi ſtulto manum apertam, ſignificans quòd omnia ſunt manifeſta Deo, ſtultus, credens, quod ſibi vellet dare alapam, ſtatim oſtendit ei pugnum clauſum, ſignificans, quòd ſi percutiet alapa, ipſe pugno repercutiet. At Græcus credidit, quòd per pugnum vellet ſignificare quod Deus omnia manu claudat. Et ſic putauit Romanos eſſe valdè ſapientes, & reuerſus Athenas, retulit Romanos legibus dignos eſſe.

Sed hoc Accurtij commentum ridet Budeus in Adnotationibus ſuis, & iocos miſcere voluiſſe, dicit Zazius, nam eo tempore, nec Græci, nec Romani, vel Vnitatem Dei, vel Trini-

tatem.

Digitized by Google

tatem cognouere falſorum Deorum veneratione præſtri-ℓti, ideo fabulam, & vanam, & falſam eſſe dicemus.

Tres igitur illi Legati Athenas miſſi, tertio poſtquam receſſerant, anno, Romam reuerſi leges ſcriptas, vti ab Athenienſibus ipſas interim ſuſceperant, moreſque aliarum Ciuitatum Populo Romano referunt.

Populus, ſtatim, decem viros creauit, qui ex Græcijs inſtitutis, patrijſque moribus, Romanas leges, & conderent, & ſcriberent, & in Centuriatis Comitijs exponerent. Diſſolutiſque & abrogatis eo anno, omnibus alijs Magiſtratibus, ſummam poteſtatem eis, uno tamen anno tantum duraturam Populus conceſſit, vt & leges corrigerent ſi opus eſſet, & interpretarentur, & decimo, ſinguli, die, ius populo redderent, eoque tempore penes iuris prefectum Faſces 12. forent. placuitque ne ab illis prouocatio eſſet. Mirandum certè, nam Regum tempore, qui tamen eximio pollebant Imperio, prouocandi ius ad Populum fuit; Horatius enim, cùm Curiatios Albanos ſingulari certamine viciſſet, & Romam ingreſſus ſororem uirginem, quæ vni ex Curiatijs deſponſata erat, ſponſi ſui fata lugentem, ſtricto gladio transfixiſſet, à Tullo Hoſtilio Rege Perduellio iudicatus, ad Populum prouocauit, à quo tandem virtutis admiratione magis, (inquit Liuius, lib. 1.) quam iure cauſæ abſolutus fuit.

Decem viri fuere, vltra tres illos legatos, quos memorauimus. Appius Claudius. T. Genutius, Pub. ſextius, L. Veturius. C. Iulius. Pub. Curatius, & Tit. Romuleius.

LEGES X. TABVLARVM.

Hi decem viri, elapſo eorum anno, ſcriptis, & conditis legibus in Decemq; Tabulis, propoſitis, ingenti omnium expectatione, populum ad concionem vocarunt, ireq; & legere propoſitas leges iuſſerunt, conteſtantes, ſe quantum decem hominum ingenijs, prouideri potuit, omnibus ſummis, infimiſque iura æquaſſe.

Itaque Centuriatis Comitijs Decem Tabularum leges tulerunt;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

runt; easque in tabulas æneas inciſas, & perſcriptas, exemplo Minois, qui, & leges ſuas Cretenſibus, datas, æreis tabulis inſcripſit, pro Roſtris, ſeu mauis, ante Roſtra poſuerunt. Sicque officio ſuo honorificè perfunctis, ſua ſponte, ſe ſimul magiſtratu abdicarunt d. l. 2. §. exactis Roſtra vt Liu. tradit, Forum erat ante Curiam hoſtiliam, quæ ſenatorum fuit, vbi culpitum erat roſtris nauium ex Anſiatibus captarum ornatum.

LEGES XII. TABVLARVM.

Vulgatur deinde rumor, deeſſe duas alias Tabulas, quibus vniuerſum corpus populi romani abſolui poſſit. Propterea ſequenti anno alij Decem viri, iterum creati fuerunt inter quos Appius Claudis vnus ex primis, qui ſolus peſſimo exemplo, cum haberet comitia, ſemetipſum creauit, imperiumque continuare affectauit.

Hi Decem viri, Duas alias Tabulas, nō zelo virtutis, aut amore Rei P. vt tyrannica eorum poteſtas declarauit, ſed Plebis timore, ac Populi iuſſu adiecerunt, & ſic leges 12. Tab. factæ fuerunt d. l. 2. §. exactis. Quas 12. Tab. leges tanti fecit. M. Craſſus apud Ciceron. de Oratore, vt dicere nō dubitauerit, Bibliothecas omnium philoſophorum, ab vno 12. Tab. libello, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperari.

Conſtitutis igitur. 12. Tab. legibus Exploſoque Decem virorum Magiſtratu, Populus iterum Conſules creauit, & Tribunos ſuos Plebi reſtituit.

LEX POPVLI.

Conſules, vbi lex. 12. Tab. non diſponebant de aliquo negocio, ſenatum in primis adibant, eique rogationis ſuæ ſententiam exponebant, inde populum informabant, & vt 10 ęquius ipſi poſtea videbatur, decidebant, taliſque deciſio lex erat de qua in §. lex inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

PLEBIS-

PLEBISCITA.

Similiter & Tribunus Plebis idem faciebat cum Plebe, quod
Conſul con populo, eiuſque deciſio erat lex, quæ dicta fuit
11 Plebiſcitum, de quo in §. Plebiſcitum inſtit. de iur. nat. &
in d. l. 2. §. Deinde cum eſſes.

Verum, quia eo iure, quod Plebs ſtatuebat Patricij, & ſenatores non tenebantur, multæque diſcordiæ ob id inter Patricios, & plebem naſcebantur ideo placuit, vt eo iure quod Plebs ſtatuiſſet, omnes tenerentur d. l. 2. §. augeſcente ciuitate.

SENATVSCONSVLTA.

Deinde, quia difficile erat, vt Plebs, & multo difficilius, vt
Populus, ob multitudinem in vnum conuenire poſſet; ideo
neceſſitas ipſa curam Rei P. ad ſenatum deduxit, ſicque cæ-
12 pit. ſenatus ſe interponere, & quicquid ſtatuiſſet, obſer-
uabatur iusque ab eo conſtitutum Senatuſconſultum di-
ctum fuit. d. l. 2. §. Deinde quia difficile.

PRAETORVM EDICTA.

Et quia quandoq; Conſules extra vrbem proficiſci debebant;
ideo ne Ciuitas Rectoribus careret, facti fuerunt Duo Offi-
13 ciales, dicti Prætores, quorum vnus dicebatur Prætor Vr-
banus, qui præerat ciuibus, Alter Peregrinus, qui cauſas
Peregrinorum audiebat.

Hi Prætores quædam proponebant edicta in Albo, quæ per Populum approbata, habebant vim legis, dictaque fuerunt Prætorum edicta, de quibus in §. Prætorum quoque inſtit. de iur. nat. & in d. l. 2. §. eodem tempore.

Et quidem olim hæc edicta habebant vim legis, non quidem perpetuæ ſed annalis, quoniam cum magiſtratu ipſo, qui annuus erat finiebantur vt per Tot. Tit. inſtit. de Perpet. & Temporal. Action. Sed Cornelius Tribunus Plebis, animaduertens, multitudinem, & varietatem edictorum Rei P. pernicioſam eſſe, multis inuitis, legem tulit, vt Prætorum edicta perpetua eſſent; Quæ res gratiam ambitioſis

Præ-

Prætoribus ſuſtulit, qui vt de ſuo aliquid in Rem P. contuliſſe, viderentur, ſingulis annis noua edicta proponebant, cuius rei nomine Cicero in Verrem acriter inuehitur.

Primus poſtea Aulus Offilius prætorum edicta confuſa colligens in vnum redegit. d l. 2. §. ex his, & poſt eum Iulianus, idem multo felicius præſtitit l. 1. §. ſed quia. C. de Veter. iur. enucleand.

Ædiles Curules etiam iuris conſtituendi facultatē habebant, & edicta quædam proponebant de quibus per Tot. Tit. ff. de Aedilict. edict. & in d. §. Prætorum quoque inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

PRINCIPVM PLACITA.

Nouiſſimè poſtea cum ſenatus omnes prouincias probè regere nō poſſet, Populus neceſſe eſſe vidit, vt rurſus per vnum conſuleretur, atque ideo omne ſuum imperium, & poteſta-
14 tem in Principem contulit, vt quidquid ei placeret legis vigorem haberet, dictumque fuit Principis placitum de quo in §. ſed quod principi inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. & in d. l. 2. §. nouiſſimè.

RESPONSA PRVDENTVM.

Poſtremò, quia Princeps tot, tantaque negocia, tàm domi, quàm foris, ſuſtinere non poterat, creauit quoſdam viros ſapientes Iureconſultos appellatos, quibus data fuit à Cęſa-
15 re Auguſto autoritas de iure reſpondendi, quorum reſponſa tantæ auctoritatis fuerunt, vt pro lege ſeruarentur, dictaque fuerunt reſponſa prudentum de quibus in §. reſponſa inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. & in d. l. 2. §. Vt obiter. Et hæc de origine iuris.

MAGISTRATVVM SVCCESSIO.

Nunc poſt originem iuris, Conſequens eſt etiam, vt de Magiſtratuum nominibus, & origine cognoſcamus, quoniam, vt

in-

Digitized by Google

inquit Pomponius. I. C. in d.l.2.§. poſt originem iuris, pa-
rum eſſet ius in Ciuitate eſſe, niſi etiam ſint, qui iura redde-
re poſſint.

Quod igitur ad Magiſtratus attinet, conſtat initio vrbis Ro-
mæ nomen imperij apud Reges fuiſſe, d.l.2.§. quod ad Ma-
giſtratus.

REGES.

Primus apud Romanos Rex fuit Romulus, qui condita Ciui-
tate, proſpiciens, tres eſſe Rei P. gubernandæ ſpecies, Mo-
narchiam, quæ Regum eſt, Ariſtocratiam, quæ eſt Optima-
17 tum, & Democratiam, quæ eſt popularis. Perfectiſſimam,
& Platonicam, quæ ex his tribus conſtat, inſtituit. Sicque
ipſe ſe Regem dedit, ſenatores centum elegit, & Populum
in triginta Curias diuiſit, Dionyſius, & Polybius aucto-
res ſunt.

Poſt Romulum, ſequuti ſunt, & alij Reges, puta, Numa Pom-
pilius, Tullus Hoſtilius, Ancus Martius, Tarquinius Pri-
ſcus, Seruus Tullius, & Tarquinius ſuperbus, in quo tandem
Regia dominatio extincta, & in Conſularem conuerſa fuit.

TRIBVNVS CELERVM.

Iiſdem temporibus, quibus Reges, & Tribunum Celerum
fuiſſe conſtat, qui equitibus præerat, velutique ſecundum
locum à Regibus obtinebat d.l.2.§. quod ad Magiſtratus.
Habuit enim Romulus, non belli modo tempore, ſed etiam
18 pacis ad cuſtodiam corporis, & vrgentia Rei P. miniſteria,
trecentos armatos equites, quos Celeres nuncupauit, & qui
eis præerat, Tribunus Celerum dictus fuit Liuius lib.1. &
Plinius lib.33.cap.2. huncque morem à Lacedemonijs Ro-
mulum traxiſſe conſtat, apud quos trecenti iuuenes ex ge-
neroſiſſimis familijs Regum Cuſtodes eligebantur Hali-
carnas. lib.1.

Digitized by Google

CONSVLES.

Exactis Regibus Romana Res P. ſtatum mutare cæpit, pro-
que regio qui 244. annos durauerat, Cóſularem aſſumpſit.
Conſulum ſumma fuit poteſtas, eadem nimirum quę Regum;
datum enim fuit eis, vt omnia poſſent, quæcunque Regibus
antea licebant, nihilq; immutatum fuit, niſi quod pro per-
petuo vnius imperio, annuū duobus datū fuit Liuius lib. 1.
19 & 2. in principio. Sed ne per omnia Conſules regiam ſibi
poteſtatem vindicaſſe viderentur factum fuit vt ab eis pro-
uocatio eſſet, nevè poſsēt in caput ciuis romani animaduer
tere iniuſſu populi: ſolum relictum illis, vt coercere poſ-
ſent, & in vincula publica duci iuberent d. l. 2. §. exactis
deinde regibus.

CENSORES.

Poſt deinde cum cenſus iam maiore tempore agendus eſſet,
& conſules non ſufficerent, huic officio Cenſores duo con-
ſtituti ſunt. d. l. 2. §. poſt deinde; ſic dicti, eo quòd eorum
20 proprium munus eſſet, cenſum agere, hoc eſt, ciuium nu-
merum recognoſcere, ac eorum patrimonium eſtimare, &
recenſere Liu. lib. 4. item ſub eorum poteſtate, morum,
& diſciplinæ cenſura, decoris, & dedecoris diſcrimen poſi-
tum erat, vt & à ſenatu etiam mouere indignos, eis ius eſſet
Liu. lib. 39. 62. & 98. quapropter Cic. in Orat. pro cluētio
Cenſores dicit eſſe præfectos moribus, magiſtros veteris di-
ſciplinæ, & ſeueritatis, de qua re apud Gell. Feneſtell. &
alios auctores complura pulchra exempla traduntur, ſed
nec illud iocoſum præteribō; Catonem ſeniorem in Cen-
ſura Manilium ſenatu mouiſſe, quod vxorem, ſpectante fi-
lia, fuiſſet oſculatus. Horum Cenſorum magiſtratus, non
vt alij, annuus erat, ſed quinquennio durabat. primique
Cenſores ex patribus creati fuerunt, non niſiq; patres hunc
magiſtratum initio rerum gerere poterant, ſed vt in alijs
etiam magiſtratibus immutatum fuit, ita & de plebe Cen-
ſores creari cæperunt, ſeruatumque fuit, vt vnus patricius,

alter

Digitized by Google

alter plebeius eligeretur Liu. lib. 10. & Plutarch. in Marco Catone.

DICTATORES.

Populo deinde aucto, cnm crebra orirentur bella, placuit maioris poteſtatis magiſtratum conſtitui itaque Dictatores proditi ſunt quorum ſumma fuit poteſtas, & maior quam conſularis, nam & capitis animaduerſio data, & prouocan-
21 di ius ab ipſis non fuit d. l. 2. §. populo deinde aucto. Quinimo Dictatore creato, Conſulum, Prætorum, Ædilium, cæterorumq; magiſtratuum, præterquam Tribunorum ceſſabat auctoritas, quam ideo veteres durare voluerunt, vt ad tyrranidem Dictatori aſpiranti frenum aliquod inijceretur Polib. lib. 3. & Liu. lib. 22. & hunc magiſtratum, quia tantam poteſtatem habebat, vltra ſextum menſem retineri fas non erat d. l. 2. §. populo deinde aucto, principioque rerum ad tantæ dignitatis faſtigium non niſi patricij euehebantur, at procedente tempore ex plebe quoque creari cæperunt Liu. lib. 7. fuitque etiam in more poſitum, vt Dictator non niſi noctu crearetur, idem Lib. lib. 9.

MAGISTER EQVITVM.

Sicut ab initio Tribunus Celerum Regi aderat, imperatoribus Præfectus prætorio, ita, & Dictatori Magiſter equitum adiunctus fuit, qui veluti magiſter conſiliorũ adeſſet, ac ſi for-
22 tè Dictatori abeſſe, aut grauiore morbo laborare, contingeret, eius vices gereret, & munia obire poſſet, factus veluti ſocius imperij, virtutiſque & ignauiæ Dictatoris teſtis.

Huic Magiſtro equitum ſumma militię credebatur, tantumq; ei ius in milites fuit, quantum Dictatori in populum; Milites enim omnes Magiſtro equitum, ipſe verò ſolius Dictatoris dicto audiens erat. nec vnus ſine alio creari poterat Halicarn. lib. 5. Quinimo & Vterque ſimul imperium deponebat, prius enim Dictator magiſtrum equitum magiſtratu abire iubebat, ne ipſe qui proxima pollebat poteſtate

Digitized by Google

in honore ſummo habitus, ſolus aliquid moliretur, & poſtea ipſe ſe magiſtratu abdicabat d. l. 2. §. deinde Liu. lib. 4. & Pater meus de Venet. & Roman. magiſtrat. inter ſe comparat. ad l. 1. ff. de Offic. eius. num. 66. & 67.

TRIBVNI PLEBIS.

Iiſdem temporibus, cùm Plebs à patribus ſeceſſiſſet, anno ferè ſeptimo decimo poſt exactos Reges, Tribunos ſibi in monte ſacro creauit, qui eſſent plebei magiſtratus, & quos Plebs
23 ipſa veluti defenſores haberet aduerſus Senatum, & Conſules d. l. 2. §. iiſdem temporis. Quorum munus, & officium erat intercedere, ac prohibere, nec enim iuri dicundo, nec cauſis, querelisve cognoſcendis, ſed interceſſionibus tantum faciendis, & iniurijs arcendis, creati fuerunt, magiſque ad impediendum, vt inquit Plutarch. quam ad agendum. Verum bene eſt, quòd ſi eorum interceſſionibus non parebatur, ius prehendendi, ac in carcerem adducendi habebãt, adeò quidem, vt etiam in Conſulem ipſum manus inijcere, & in vincula publica duci iubere poſſent Liu. lib. 4.

Quin etiam habendi diſſoluendi ac intercedendi Senatus poteſtatem habebant; poſitis enim ante Curiæ fores ſubſellijs, Senatus decreta excipiebant, quæ ſi probabant, littera T. ſubſcribebant, ſin minus ſenatuſconſultum per interceſſionem impediebant. Ac inde poſtea etiam in ipſa Curia ſubſellia habere cœperunt, donec Attinio plebiſcito Senatores effici meruerũt vt ſcilicet, quem Tribunum Plebs creaſſet, is hoc ipſo in poſterum Senator eſſet Coraſ. in d. l. 2. §. poſtea aucta h. t. & pater meus in d. ſuo Tractat. num. 79. Sacroſanctus fuit hic magiſtratus adeo quod nec prehendi, nec violenter duci poterat, Liu. lib. 3. & ſi aliquando forte vnum ex Tribunis cogi oportebat, id munus cæteri Collegæ præſtabant, inuicem errata ſua moderantes, & corrigẽtes Valer. Max lib. 6. cap. 5. & quia principaliter creati fuerunt, vt ab eorum iniuria plebem arcerent, propterea Tribuni ianua nunquam, nec noctu quidem claudebatur, vt omni tempore eorum auxilio indigentibus, preſto eſſe poſ-

ſet,

Digitized by Google

ſet,& a principio Duo tantum fuerunt,ſed gliſcente in dies ſeditione inter patres & plebem vſque ad Decem Tribunorum numerus creuit vt munitior eſſet plebi libertas, & tutior aduerſus patriciorum potentiam ſtatus Liu. lib. 3.

AEDILES.

Inſuper quoniam Conſulum arbitrio, plerumque ſcita plebis ſupprimebantur, ideo Duo ex plebe creati fuerunt Aediles 24 dicti,eo quod ædibus præerant in quibus omnia ſcita plebs deferebat d.l.2.§.itemque vt eſſent.

Poſtea ex patribus alij duo creati fuerunt Curules dicti à ſella eburnea incuruos pedes habente, cui ius dicendo, inſidebant d.l.2.§.Deinde cum placuiſſet. Quorum officiũ erat, ſacrorum publicorumque locorum, curam habere, ludos publicos apparare, prouidere vt cloacæ publicæ, aquæductus, omniaque munda, & incorrupta adſeruarentur de quibus etiam ius reddebant & ædicta proponebant l. vlt. ff. de via publica ponderibus pariter & menſuris præerant,& ſi aliqua iniuſta, aut minora reperiſſent, frangi iubebant l. Item quæritur §. ſi,quis menſuras ff.locat. quam legem Accurſ.ibi parum aſſecutus eſt, Aedilitij quoque muneris fuit prouidere, ne quid occulti latentiſve vitij, vel morbi in re vendita ineſſet l. 1. & Tot.Tit.infra de Aedilic.edict. Cic. lib. 3.Offic.& Liu.lib.4.

Fuit olim Romæ Aedilitas inter minores magiſtratus, ac proinde adoleſcentes prima commendatione Aedilitatem conſequebantur. Vnde & Publ.Cornel.Scipio qui poſtea Africani nomen ſumpſit, Aedilis Curulis, cum vix ex ephebis exceſiſſet, creatus fuit, cui cum obſiſterent Tribuni plebis negantes rationem eius habendam eſſe,qui nondum ad pe- 25 tendum legitimam ætatem nactus eſſet,verſutè reſpondit, ſi me Omnes Quirites Aedilem facere volunt, ſatis annorum habeo; tantoque inde fauore ad ſuffragium in Tribus diſcurſum eſt, vt Tribuni incepto deſiſterent Liu. lib.25. Quandoque tamen in tantum honoris culmen Aedilitas prouecta fuit, vt abſentibus, vel impeditis conſulibus ſum-

ma rerum, & maieſtas Conſulares imperij ad eos ſæpè delata fuerit Alex.ab Alex.lib.4.Genial.dier.cap.4.multa ſcripſit Pater meus d.loco num 82.con·ſeq.

Fuerunt quoque cum Iulius Cæſar rerum potiri cœpit, Aediles alij duo creati,qui curam gererent annonæ forenſis,copiæque cibariorum, Cereales ideo dicti, à Cerere nimirum quæ Dea frugum exiſtimatur, nam cum antea homines glãde veſcerentur,fruges à Cerere primum in Sicilia inuentas, & deinde ab eadem Athenas allatas fuiſſe, Cicero Act.6. in Verrem ſcribit,quod & Ouidius indicat dum ait lib.5.Metamorph.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Cura igitur eorum erat, prouidere, ne vrbs penuria annonæ, neve caritate laboraret,apparare frumentum & oleum,ceteraſque fruges conuehere, commeatus,quæque bello vſui forent in caſtra deferre d.l.2.§.item vt eſſent, & §. deinde Cornelius.

QVAESTORES.

Deinde cum ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet,qui illi preeſſent conſtituti ſunt Quæſtores ab eo dicti quod inquirendæ, ac conſeruandæ pecuniæ cauſa creati eſſent d.l.2 §. de-
26 inde cum ærarium. Idque factum fuit,ne leuioribus his occupationibus Conſules detenti à cura grauiarum rerum auocarentur;tum etiam ne ſi ferueret auaritia anſam haberent,ærario ſibi permiſſo malè faciendi.

Hi ab initio quatuor fuerunt. Duo qui publicæ pecuniæ in vrbe & ærario præſidebant, & Duo qui Conſulibus ad belli miniſteria præſto erant.ſed procedente tempore ſex,ac demum etiam eouſque fertur Quæſtorum ampliatus numerus,vt viginti forent Liu.lib.4.Inter quos & Parricidij Queſtores nominabantur,qui capitalibus rebus præerant,adeoque pœnas ad mortem etiam vſque exigebant, quod Conſulibus prohibitum erat d.l.2.§.deinde cum ærarium. Aſcõ. 2.Act.in Verrem Quæſitores nominat,eo quod iudicijs crimina-

minalium quæſtionum præeſſent, vt & Verg. 6. Aeneid. Minoem capitalium rerum apud inferos iudicē facit, ibi.

Nec verò hæ ſine ſorte data, ſine iudice ſedes
Quæſitor Minos vrnam mouet: ille ſilentum
Conciliumque vocat, vitaſque & crimina diſcit.

Et Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 3.

Quæſitor in alto
Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos.

DECEM VIRI.

Et cum placuiſſet leges quoque ferri; Treſque legati Athenas miſſi, Romam reuerſi eſſent; Decem viri creati fuerunt, qui ex græcijs inſtitutis patrijſque moribus Romanas leges con-
27 derent, abrogatiſque omnibus alijs magiſtratibus, ſumma poteſtas eis vno tamen anno tantum duratura, conceſſa fuit, nec ab ipſis prouocatio ſicut à reliquis magiſtratibus fuit d.l.2. §. exactis l 1. & §. & eum placuiſſet. Hi cum magiſtratum etiam vltra annum ſibi prorogarent, & rem iniurioſè tractarent, neque vellent ſufficere magiſtratus, vt ipſi & factio ſua perpetuò occupatam Rem P. retinerent, vt nō immeritò à M. Horatio Barbato in frequēti Senatu decem Tarquinij appellati fuerint, eo nimia atque aſpera dominatione Rem P. perduxerunt, vt exercitus à Re P. ſecederet. Initiumque ſeceſſionis fuiſſe dicitur Virginius quidam vir plebeius, cæterum rei militaris peritiſſimus, qui cum filiam haberet honeſtiſſimam, & forma præcellentem L. Icilio tribunitio deſponderat, hanc Appius Claudius perditiſſimè amans, M. Claudium clientem ſuum ſuppoſuit, qui virginē ſeruam ſuam eſſe diceret, veluti domi ſuæ natam, furtoque inde in Virginij domum translatam, pro qua cum P. Numitorius puellæ auus, & Icilius ſpontus cæterique amici, abſente patre Virginio, qui tunc honeſtum in exercitu ordinē ducebat, poſtularent, vt vindicias Appius daret ſecundum libertatem, hoc eſt commodum poſſeſſionis, Appius legem calumniatus à ſe & decem viris in 12. tabulis translatam, quo cautum erat, vt ſi ex libertate quis vocaretur in ſeruitutem.

Digitized by Google

tutem frueretur interim ille datis ſaltem vadibus commodo libertatis; eam locum habere dixit, vbi appareret pater libertatis filiæ aſſertor, ſed ſi pater abeſſet dominum eſſe potiorem, ſicque ſecundum ſeruitutem vindicias decreuit, qua de re turbatus Virginius qui iam è caſtris redierat, indignatuſque quod vetuſtiſſima iuris obſeruantia in perſona filiæ ſuæ defeciſſet, vtpotè cum Brutus qui primus Romæ Conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona vindicij vitelliorum ſerui, qui proditionis coniurationem detexerat, concepit animo facinus amarum ſanè patri, cæterum libero viro dignum, arreptoque cultro de taberna Lanionis pectus puellæ pius parricida transfixit; in hoc, ſcilicet, vt morte virginis Contumeliam ſtupri arceret, ac protinus recedens à cede, & adhuc filiæ cruore madens ad commilitones confugit, qui omnes ſceleris atrocitate partim concitati, partim ſpe repetendæ libertatis relictis priſtinis Ducibus in Auentinum montem ſigna tranſtulerunt, ad quem & omnis vrbana plebs ſe contulit, atque ita populi conſenſu partim Decem viris in carcere necatis, partim in exilium actis Romana Res P. iterum ſuum ſtatum recepit. d.l.2. §. & cum placuiſſet.

TRIBVNI MILITVM.

Deinde cum poſt aliquot annos quàm xij. tab. leges latæ fuerũt, & Plebs contenderet con patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore Conſules creari, & patres recuſarent, factum eſt, vt Tribuni militum crearentur partim ex plebe partim ex patribus conſulari poteſtate, d.l. 2. §. Deinde cum poſt aliquot annos.

Fuit & aliud Tribunorum militarium genus, qui non in vrbe, ſed in caſtris tantum pollebant, quorum munus erat, milites in officio continere, eorum querellas audire, vigilias circumire, & ſimilia, quæ recenſentur in l. officium. ff. de Re milit.

PRAE-

Digitized by Google

PRAETOR VRBANVS.

Deinde cùm placuiſſet creari etiam ex plebe conſules vt aliquid pluris patres haberẽt, placuit duos ex numero patrum conſtitui, qui Curules Aediles dicti fuerunt, de quibus ſupra
29 dictum eſt. Cumque Conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt, vt Prætor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus eſt, quod in Vrbe ius diceret d. l. 2. §. Deinde cum placuiſſet. iſque ex patribus fuit, ſed nec hic honos diu apud patricios manſit, ſed vt Conſulatus, ita & prętura con plebe communicata fuit Liu. lib. 8.

PRAETOR PEREGRINVS.

Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba peregrinorũ in ciuitatem veniret, creatus eſt, & alius Prætor, qui Peregrinus appellatus eſt, ab eo quòd plerunque inter peregrinos ius diceret d. l. 2. §. poſt aliquot. Capta deinde Sardinia, Sicilia, Hiſpania, & alijs, totidem Prętores quot prouinciæ in ditionem venerant, creati fuerunt, partim qui vrbanis rebus, partim qui prouincialibus præeſ-
30 ſent d. l. 2. §. Capta deinde Sardinia; & alij inſuper additi vſque adeo, vt ad decem & octo Prætorum numerus creuerit d. l. 2. §. Deinde Cornelius.

CENTVM VIRI.

Deinde cum eſſet neceſſarius magiſtratus qui haſtæ præeſſet centũ viri litibus iudicandis creati fuerunt d. l. 2. §. deinde cum eſſet. Erant enim Romæ triginta quinque Tribus, quibus ſingulis Tribus, Tres ad iudicandum eligebantur,
21 qui licet vniuerſi amplius quam centum eſſent, tamen commodioris locutionis gratia, vt Feſtus docet, Centum appellati fuerunt. haſtæque præeſſe huiuſmodi Centum Vi-

ri dicebãtur quia haſta in medio poſita congregabantur Sueton. in Auguſt. hinc & Martial. lib.7. Epigr.

Hunc miratur adhuc centum grauis haſta virorum
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.

Haſtaque Romanos in iudijs ideo vſos fuiſſe puto, quòd ea ſit præcipuum armorum, & imperij ſignum. Poteſt illud quoque dici hunc haſtæ morem in iudicijs Romæ quondam irrepſiſſe in memoriam Romuli, quem aſſiduè haſta vſum fuiſſe ferunt. Huius centum Viralis iudicij fit mentio in l. Titia infra de inoffic. teſtã. & in l. vlt. C. de Petit. hæredit.

QVATVOR VIRI.

Eodem tempore, & Quatuor Viri qui curam viarum agerent
32 conſtituti fuerunt d. §. Deinde cum eſſet.

TRIVM VIRI MONETALES.

Item, & Trium Viri Monetales qui cudendæ monetæ & ne quid corruptelæ admiſceretur, & vt probi auri, & argenti,
33 iuſtique ponderis eſſent, curam haberent d. l. 2. §. deinde cum eſſet.

TRIVM VIRI CAPITALES.

Trium Viri quoque Capitales eodem tempore creati fuere, qui carceris cuſtodiam haberent, & cum animaduerti opor-
34 teret eorum interuentu fieret d. §. deinde cum eſſet.

QVINQVE VIRI.

Et quia magiſtratibus, veſpertinis temporibus in publicum eſſe inconueniens erat, vſq; adeo vt poſt occaſum ſolis diſſolui ſenatum Romani voluerint Gell. lib.14. cap.7. ideo
35 Quinque Viri cis Tyberim conſtituti fuerunt, qui magiſtratuum munere, & officio veſpertino tempore fungi poſ-
ſent

ſent d.l.2. §. & quia. Sic Areopagitæ ſeueri illi, & incorrupti iudices Athenienſes, nunquam die iudicabant, ſed noctu, & in tenebris, vt procul ab omni affectu rem ipſam noſcerent, atque duntaxat quæ dicerentur non dicentium perſonas ſpectarent Lucianus in ſectis.

PRAEFECTVS VRBI.

Et hæc omnia quoties in Vrbe erant magiſtratus. At quia ſæpè ob bella Prætores etiam ipſos, licet ad ius dicendum principio creatos, Vrbem relinquere oportebat, & foris imperium armis exercere, belliq́ue curam ſuſcipere, ideo ne quis in Vrbe tumultus fieret, ſoliti fuerunt Romani magiſtratum in tempus creare, qui ius redderet, ac in vniuerſæ Vrbi pręſideret, ob id Pręfectus Vrbi dictus & d.l.2.§. & hæc omnia. Qui & olim à prima etiam antiquitate ceteris magiſtratibus abſentibus conſtitui ſolitus fuit, ita quod in eum caſum pro tēpore deputaretur quod & Feneſtella ſcribit, & Tacit.lib.5. docet. Poſtea verò & latinarum feriarum cauſa introductus, & quotannis obſeruari ſolitus fuit d.§.& hæc omnia. Latinæ feriæ ſignificant conceptos illos dies, quibus latini populi in ſignum æternæ pacis con Romanis ad ſacrificandum Ioui in montem Albanum ex Tarquinij inſtituto conueniebant Halicarnas. Lib.4. quieſcebantq́ue omnes magiſtratus cùm latinæ feriæ indicebantur, adeoque Conſules Tacit. lib.3. durat, inquit, Præfecti Vrbi ſimulacrum hodie, quoties ob ferias latinas pręficitur, qui conſulare munus vſurpet.

PRAEFECTVS ANNONAE.

Sanè cum ob deſertum agrorum cultum tam acerba fames Romam inuaſiſſet, vt multi ex plebe, ſicuti Liuius memorat lib.4. potius quam vt fame cruciarentur, trahendo animam capitibus obuolutis ſe in Tyberim præcipitarent, fa-
37 ctum fuit, vt ob id Præfectus annonæ crearetur d.l.2 §.& hæc omnia; cuius officium, & munus erat annonam vndi-

que coëmere, & Romam adeuhendam curare, ac cogerè eos qui frumentum vltra proprios vſus poſſident, iuſto pretio vendere. Celebre eſt illud Gn. Pompei, qui cùm magna frumenti copia comparata, è Sicilia nauem ſoluere vellet, & nautæ contenderent, non eſſe committendam ſeuienti pelago claſſem, emiſiſſe fertur memorabilem illam vocem. Nauigare nobis neceſſe eſt, viuere non eſt neceſſe. Is Præfectus annonæ ab Aedilibus Cerealibus eo differt, quòd Hi iure ordinarij magiſtratus rem frumentariam curabant, illi extra ordinem, ſi neceſſitas inſtabat, creabantur, eratque non perpetua, ſed temporaria poteſtas.

PRAEFECTVS VIGILVM.

Item & Vigilum Præfectus præſertim ob incendia creatus fuit d. l. 2. §. & hæc omnia.

Hos Præfectos annonæ & Vigilum, non eſſe magiſtratus voluit Pomp. d. loco. Cæterum Liu. lib. 4. ab ipſo Pomp. diſſentit, vt non immeritò hic Coraſ. dubitet. alibi tamē non legi, hos præfectos non eſſe magiſtratus: Feneſtella eos magiſtratum gerere tradit, ſed & in l. 1. & 3. infra de Offic. Præfect. Vigil. cognitionem de incendiarijs, furibus, & effratoribus Præfecto Vigilum fuiſſe, ſcribitur. Vnde puto eos hic non dici magiſtratus, quia inter minores fuere, eiſque ſenatus vocandi ius non erat, vt maioribus magiſtratibus: quod docet Gellius. Non quotannis tamē ſicut ceteri magiſtratus creabantur, ſed extraordinarie, & pro emergente vrbis de improuiſo neceſſitate, famis, vel incendij d. §. & hæc omnia: Hi tamen, & quos cis Tyberim, diximus, hoc eſt, Quinque Viri procedente tempore creari deſierunt, totaque eorum Cura ad Aediles translata fuit, quibus & conuehendæ annonæ, arcendorum incendiorum, atq; adeò totius vrbis cura, & tutela demandata fuit prout ita intelligit tex. Coraſ. in d. §. & hæc omnia, hac in re, ambiguum quidem, & obſcurum, quem nec Zazius ipſe, vir alioqui benè doctus aſſequi potuit.

Et ſic Duo Conſules, Decem Tribuni plebis, Decem & octo

Præ-

Digitized by Google

Prætores,& ſex Aediles in Ciuitate iura reddebant d.§. & hæc omnia in fine.

PRVDENTVM SVCCESSIO.

Iuris ciuilis ſcientiam plurimi & maximi viri profeſſi ſunt, ſed qui maximæ dignitatis apud Pop.Rom. fuerint, eorum mentio ſimul con Pomp. noſtro in d. l. 2. à nobis habenda
39 eſt, neque enim parum refert intelligere, quo autore, & quo tempore ſcriptæ ſint leges, quæ ſit prior, & quæ poſterior, cum ex diuerſitate temporis multa explicari poſſint, quæ aliàs non tam facilè percipiuntur ab his qui iuriſconſultorum tempora non obſeruauerint vt ob id in magnos errores interdum Doctores noſtros lapſos eſſe videamus.

Primo igitur peritus fuit Sextus Papyrius, qui leges regias in vnum contulit.

Secundo Appius Claudius, vnus ex Decem viris, cuius maximum conſilium in 12. tabulis ſcribendis fuit.

Tertio alius quoque Appius Claudius eiuſdem generis, vir acris ingenij, ſed plebi atrociter infeſtus, vt ſcribit Liu. lib. 9. & quia luminibus orbatus cæcus dictus fuit, d.l.2.§. fuit autem. Is ſenectute iam & orbitate oculorum à Rei P. muneribus ceſſans, audito quòd ſenatus ad pacem & cõcordiam con Pyrrho Rege componendam, & ipſum in vrbem recipiendum, inclinabat, lectica per forum delatus in Curiam venit, vbique ſuo loco conſtitit, ſilentio in Curia facto, ſe antea ſuam oculorum fortunam permoleſtè tuliſſe dixit. tunc autem ſe dolere, atque angi vehementer, quòd non etiam ſurdus eſſet, ne tam turpes conſultationes, atque ſententias, quæ vrbis Romæ gloriam ſubuertunt, audire compelleretur, ſicque pacem vt minus vtilem fortiter diſuaſit, & omnium animos ad belli ſtudium traduxit, eiuſque conſilium ſalubre Rei P. euentus comprobauit huius orationis meminit Cicero in Catone maiore, eamque apud eundem verſibus proſecutus eſt Ennius adiungens.

Quo vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant.
Ante hac dementi ſe ſe flexere ruina.

& Plu-

Digitized by Google

& Plutarchus etiam eandem accuratè refert in Pyrrho.

Quarto fuit Sempronius quem Pop. Rom. ſophum appellauit qui cum Tribunus plebis eſſet in Appium Claudum Cæcum, Cenſura ſe abdicare nolentem acerrimè eſt inuectus d. l. 2. §. Fuit poſt eos.

Quinto fuit, C. Scipio Naſica à magnitudine naſi ſic dictus, qui à ſenatu optimus appellatus eſt, & cui etiam publica domus in ſacra via data fuit, quo facilius conſuli poſſet, d. §. fuit poſt eos.

Sexto fuit Q. Fabius qui ad Carthaginenſes miſſus legatus, cum ei eſſent duæ teſſeræ poſitæ vna pacis in qua ſculptum erat Caduceum, hoc eſt, ſceptrum Mercurij pacis ſymbolum, ſic dictum, quod diſcordias & bella cadere faciat. Altera belli, in qua ſimulacrum haſtæ inciſum erat; erat enim haſta ſignum belli ut Feſtus ſcribit. arbitrio ſibi dato, vtram vellet, referret Romam: vtranque ſuſtulit, & dixit, Carthaginenſes petere debere, vtram mallent accipere d. §. Fuit poſt eos, & ſic pro teſſera hoc in loco, ſignum intelligitur, quo cognoſcitur bellum ne, an pax deferatur.

Eſt & teſſera militare ſignum quod Duces ſuis militibus dare ſolent ad hoſtes, & exploratores dignoſcendos, & a veget lib. 3. de Re militar. vocale dicitur, eo quod pro arbitrio eius qui præeſt exercitui, voce verboq; detur. Inuentorem que fuiſſe Palamedem in bello Troiano ſcribit Plin. lib. 7. cap. 56. Vergilius etiam teſſeræ verbo Symbolum quidem bellicum ſignificari ſentit, at illud quod exeuntibus ad pugnam datur, ne qua inter milites oriatur confuſio lib. 7. Aeneidos, ibi.

Claſſica iamque ſonant, it bello teſſera ſignum.

Et hi ſunt, qui in latenti ius Ciuile retinere cogitabant ſolumque Conſultoribus potiuſquam diſcere volentibus ſe præſtabant Horat. lib. 1. ſermon. ſatyr. 1.

Agricolam laudat iuris legumque peritus.
Sub Galli cantum, Conſultor vbi oſtia pulſat.

Sequentes autem de quibus dicturi ſumus, publicè etiam profeſſi ſunt, inter quos recenſetur.

Primo T. Coruncanus cuius tamen ſcriptum nullum extat, licet

eẽt reſponſa complura & memorabilia eius fuerint d.l.2.§. Iuris ciuilis ſcientiam, & §. Poſt hos fuit.

Secundo ſextus Aelius, & frater eius Publius Aelius, ac filius & L. Attilius, qui omnes maximam ſcientiam in profitendo habuerunt d.l.2.§.poſt hos fuit.

Tertio claruit, & ſuperiores ſectatus eſt Marcus Cato princeps Porciæ familiæ d.§. poſt hos in fine, qui tria deteſtari

41 ſolebat, arcanum credere fœminæ, naui tranſire quo pedibus ire liceret, & diem per incuriam inanem effluere.

Quarto loco fuerunt P. Mutius, & Brutus, & Manilius, qui firmauerunt, ac veluti fundamento quodam ius ciuile ſtabilierunt d.l.2 §.poſt hos fuerunt.

Quinto loco ab his profecti ſunt Publ. Rutilius Rufus, Paulus Virginius, Quintus Tubero, & Sextus Pompeius d. §. poſt hos fuerunt.

Publius Rutilius Rufus fuit Romæ Conſul, & Aſiæ Proconſul vir optimus, & ſuæ ætatis clariſſimus. I. C. de quo præclarum illud probitatis dictum fertur. Cum enim ei amicus qui iniuſte quædam rogauerat, nec impetrauerat, indignatus dixiſſet. Quid ergo mihi amicitia tua opus eſt; ſi

42 quod rogo non facis? Rutilius reſpondit; imò quid mihi tua, ſi propter te, iniuſte aliquid facturus ſum? Valer. Maxim. lib. 6. cap. 4. & de hoc Rutilio Rufo mentionem facit Vlp. in l. 3. §. ligna. ff. de Penu legat.

Paulus Virginius quis fuerit non ſatis compertum extat, duę enim Romæ fuerunt Virginiorum familiæ, vna plebeia, quam pro parricidio L. Virginius filiæ interfector in omne æuum illuſtrauit, Altera patricia antiquiſſima. ex qua autem is Virginius fuerit, incertum eſt.

Quintus Tubero ſtoicus fuit, ſtoicamq; diſciplinam tam arcte ſeruauit, vt ſeuerus nimis, durus, & auſter haberetur quemadmodum Cicero de Claris Oratoribus tradit.

Sextus Pompeius Gn. Pompei patruus eſt ille, quem Cicero in Bruto præſtantiſſimo ingenio claruiſſe dicit.

Fuit & eodem tempore Celius Antipater, qui hiſtorias conſcripſit, ſed plus eloquentiæ quàm ſcientiæ operam dedit. Item & Licinius Craſſus frater Publij Mutij, quem Cicero

Iuriſ-

Iuriſconſultorum diſertiſſimum vocat d. l. 2. §. fuit & eõdem tempore.

Sexto poſt hos fuit Q Mutius Publij filius Sceuola dictus, qui primus ius ciuile confuſum, & diſſipatum in ordinem redegit d. l. 2. §. poſt hos, de quo in l. Sceuola. ff. ad S. C. Trebell.

Septimo huius Q Mutij Sceuole auditores fuerunt, Gallus Aquilius de quo extat celeberrimum illud reſponſum in l. Gallus. ff. de liber. & Poſth. item Balbus Lucilius, ſextus Papyrius, & T. Iuuentius, quorum nomina eſſent quidem incognita, niſi à Seruo Sulpitio Gallo eorum diſcipulo nominarentur d. §. poſt hos.

Octauo ſucceſſit & Seruius Sulpitius, qui cum in cauſis orandis primum locum, aut certè poſt M. Tullium obtineret, & Q. Mutium Sceuolam de iure reſpondentem parum intellexiſſet, ab eoque ob id obiurgatum fuiſſet, dicente, turpe eſſe cauſas oranti ius in quo verſatur ignorare, ea veluti cõtumelia tactus adeò iuri ciuili operam dedit, vt breui in iuris ſcientia palmam alijs ereptam ipſe glorioſè retulerit, vt Cicero de Claris Orator. ſcribit, & habetur in d. l. 2. §. Seruius autem. Et certè, eſt res reprehenſione non indigna, ſolos linguæ operarios tribunalia fatigare, & quam minimè norunt, iuſtitiæ legem iudici velle perſuadere, ſic olim Publius Conſa, qui ſe Iuriſconſultum iactitabat, cùm tãquam teſtis interrogaretur, & ſe nihil ſcire diceret: Cicero in eius imperitiam iocatus, Diſce quæſo, ait, forſan de iure te interrogatum credis?

Nono ab hoc Seruo Sulpitio plurimi proceſſerunt, qui ferè omnes etiam libros conſcripſerunt, vt Alfenus Varus Iuriſconſultus ſua ætate celebris, rerumque antiquarum ſicuti Gellius lib. 6. cap. 5. ait, non incurioſus. Caius, qui libros inſtitutionum ſcripſit Aulus Offilius, qui primus edictum prętoris compoſuit d. l. 2. §. ex his. Titus Cęſius, Aufidius Tuca, Aufidius Namuſa, cuius in iure noſtro paſſim laudatur autoritas l. 2. §. apud Namuſam, ff. de Aqua pluuia arcenda Flauius Priſcus, Caius Atteius Pacuuius; Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtij pater, qui fuit ſapientiæ nomine illuſtris, vt ſcribit Appian, lib. 4. bell. ciuil. Gn. Cinna qui fuit vnus

Digitized by Google

ex coniuratis in Cæſarem,& qui primus, cum prætor eſſet, & Cæſari cognatione deuinctus, Cæſarem tyrannum cœpit acclamare Appian.bell.ciuil.lib.2. Item & Publius Cecilius de quo meminit Macrobius lib. 2. & de his omnibus habetur in d.l.2.§.ab hoc et §. ex his.

Fuit eodem tempore, Trebatius, Aulus Caſſellius, & Q. Mutius d.l.2.§.fuit.

Trebatius plures ſcripſit libros, qui tamen parum frequentabantur vt inquit Pompon. in d.§. fuit, & ex multis Pandectarum locis colligitur in quibus Trebatij dicta paſſim conuelluntur Aulius Caſſellius I.C.& doctus & eloquens fuit, quòd & Flaccus ſignificat in arte poetica, ibi.

Neſcit quantum Caſſellius Aulus.

Q. Mutius Voluſij auditor fuit, & in eius honorem Publiū Mutium nepotem eius teſtamento reliquit hæredem, mira certè Diſcipuli gratitudo,qui cùm Q. Mutio præceptori tū fortè mortuo dignam gratiam referre non poſſet eius poſteros remunerare voluit Pub.Mutium illius nepotem hæredem faciendo.Sed dicet aliquis,quomodo cùm eſſet Voluſij nepos,nomē habuit teſtatoris? Dici poteſt, teſtatorem voluiſſe, vt eius nomine nepos Voluſij cenſeretur argum. l.facto,§.quod ſi conditio,ff.ad S.C.Trebell.niſi fortè intelligas vice verſa Publ. Mutium,nepotem Q. Mutij à Voluſio in honorem Mutij eſſe inſtitutum;quod Zazius voluit, vel niſi con Coraſio legas Q. Mutij Voluſij, quòd, ſcilicet, Aulus Caſſellius fuerit Q.Mutij Voluſij auditor, & in eius honorem Publ. Mutium nepotem eius teſtamento reliquerit hæredem ; quod & mihi magis placet, neque enim de alijs Iureconſultis agit Pompon. in d.§. fuit quàm de Trebatio, & Caſſellio.

Decimo, poſt hos fuit Tubero, qui Offilio operam dedit, & tranſit à cauſis agendis ad ius Ciuile, maximè poſtquam Quintum Ligarium accuſauit apud Cęſarem,nec obtinuit, d.l.2.§. poſt hos. eum enim Cicero defendit tanta eloquentiæ vi, vt Cæſar, qui iam damnare Ligarium propoſuerat, condemnatorioſque in manu tenebat libellos:audito Cicerone, mutato vultu exiluerit, & libellos damnationis abie-

cerit, ac tandem reum contra propoſitum abſoluerit, vt Plutarchus refert in Cicerone.

Vndecimo maximæ auctoritatis fuerunt, etiam Atteius capito, qui Offilium ſequutus eſt, & Antiſtius Labeo, filius illius Antiſtij Labeonis cuius ſupra diximus, ciuilibus ſtudijs parente celebrior, & à Trebatio potiſſimum inſtitutus d. l. 2. §. poſt hunc. Atteius Conſul fuit, Labeo noluit; ſed plurimùm ſtudijs operam dedit, & totum annum diuiſit, vt Romæ ſex menſes con ſtudioſis eſſet, vt interim & ipſe frueretur aliqua requie, & ſex menſibus ſecederet, & conſcribendis libris operam daret d. §. poſt hunc continuo enim labore, & vires corporis obteri, & animi acumen hebetari conſtat. Vnde & ab Iuriſconſultis dies feſtos inſtitutos dicit Seneca: vt ad hilaritatem homines publicè veluti cogerentur, libro de Tranquillitate vitæ, atque hinc prouerbialis ille verſus.

Nec durare poteſt, qui ſemper tenditur arcus.

& quemadmodum fertiles agros exhaurit non intermiſſa fœcunditas: ita corpus & animum aſſiduus, immodicuſque labor frangit, quod & Ouidius admonet. ibi.

Quæ nunquam vacuo, ſolita eſt ceſſare nouali,
Fructibus aſſiduis, laſſa ſeneſcit humus.
Occidet ad Circi, ſi quis certamina ſemper,
Non intermiſſis curſibus, ibit æquus.

Et alibi idem Ouidius Epiſt. 4.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.

Hi duo Atteius capito, & Antiſtius Labeo diuerſas ſectas, & factiones fecerunt, cuius quidem multa adhuc etiam in iure noſtro veſtigia extant; veluti an fine numis conſiſtat ven
43 ditio §. item pretium Inſtit. de empt. & vendit. an vxor furtum committat l. 1. ff. Rer. amotar. dominium rei ex aliena materia confecte ad quem pertineat l. adeò §. cum quis, ff. de Acquir. rer. domin. & §. cum ex aliena Inſtit. de Rer. diuiſion. & alia innumerabilia, vt in l. illud quoque, ff. de Petit. hæredit. in l. ex facto, ff. de Hæred. Inſt. & alijs ſexcentis ſimilibus.

Atte-

Digitized by Google

Atteio Capitoni Maſſurius Sabinus ſucceſſit Labeoni Nerua, qui adhuc eas diſſentiones auxerunt, Nerua familiariſſimus Cæſari fuit; Maſſurius Sabinus in equeſtri ordine, & primus qui à Tyberio Cæſare publicè de iure reſpondendi auctoritatem habuit, cum antea multi quidem reſpondiſſent, ſed non publica principis auctoritate, & quia ei etiam non amplæ facultates erant, à ſuis auditoribus plurimum ſuſtentatus fuit d.l.2.§. & vt obiter. Equidem hominibus eruditis, & virtute aliqua præcellentibus peculiare eſt, vt inquit D.Hieron.in Eccleſiaſt.vt niſi vetuſtæ ſint a maioribus diuitiæ egeſtate præmantur, & hoc quia nollunt niſi honeſtè ſibi diuitias parare.

Huic Sabino ſucceſſit Caius Caſſius Longinus. Neruæ verò ſucceſſit Proculus, atque hinc partim Caſſianorum, partim

44 Proculianorum factio facta fuit, quæ iam antea initium cœperat à Capitone, & Labeone d.l.2.§. huic ſucceſſit.

Caſſio iterum ſucceſſit Celius Sabinus, qui an fuerit filius vel nepos Maſurij Sabini incertum eſt, vt cumque ſit, magnæ fuit auctoritatis tempore Veſpeſiani vt inquit Pompon. in d.l.2.§. Caſſio, luculenterque ſcripſit de ſeruis fugitiuis, vt in l.quis ſit fugitiuus, ff.de ędilict.edict.

Proculo ſucceſſit Pegaſus, qui tempore Veſpeſiani Præfectus vrbi fuit d.§.Caſſio.

Cælio Sabino ſucceſſit Priſcus Iauolenus, qui Iuliani præceptor fuit vt in l.an manumittere, ff.de Manumiſſ.vindict.

Pegaſo ſucceſſit Celſus pater, patri Celſo, Celſus filius cultor æquitatis, adeò, vt & patrem ipſum neſcio quid alienum ab æquitate ſtatuentem reprehenderit vt in l.3. §.ſi quis, ff. de condict.cauſ.dat. Item & Priſcus Neratius qui tantæ fidei, & auctoritatis fuit, apud Traianum, vt ei aliquando dixerit. Commendo tibi prouincias meas, ſi quid mihi fatale contingat Dion. in Traiano.

Priſco Iauoleno ſucceſſit Aburnus Valens & Tuſcianus, item & Saluius Iulianus, quem Iuſtin.in l.inter antiquam, C. de vſufruct.ſummum iuris ſcientiæ auctorem nuncupat.

Et hi ſunt qui à Pomponio enumerantur in d.l.2.

Sed præter iſtos fuerunt etiam & multi alij, inter quos Ter-

tyllianus de quo in Tit. ad S.C. Tertyllian. Metianus de quo in l. Diui fratres, ff. de iur. patronat. Marcellus de quo in l. Marcellus, ff. de Rei vindicat. Serbidius Scæuola quo iuriſperito præcipuè vſus eſt Marcus Imperator de quo in l. Scæuola, ff. de verb. ſignificat. Papinianus de quo in l. Papinianus, ff. de Minorib. quem Caracalla peſſimus Imperator interfici iuſſit, quod vir iuſtus fratris necem apud Senatum excuſare nollet. Modeſtinus eius diſcipulus de quo in l. munerum, ff. de Muner. & honoribus Caius de quo in l. quid ergo, ff. de vſufruct. Vlpianus de quo in l. 1. ff. de cenſib. Paulus Patauinus de quo in l. Paulus, ff. de ſolution. Mauritianus de quo in l. hæres, ff. de legat. 3. Pomponius auctor legis noſtræ Terentius Paternus Aemilius Macer, & Martianus de quo in l. ſi duo, ff. de Dolo. Terentius Clemens diſcipulus Papiniani de quo in l. ſi mihi, ff. de Legat. 2. Menander, & Arcadius Chariſius de quo in l. 1. ff. de Teſtib. Licinius Ruſinus de quo in l. quod legitur, ff. de iudic. Papyrius Fronto, ſiue Iuſtus de quo in l. nauis, ff. ad l. Rhod. de iactu, Furius Antnianus de quo in l. fin. ff. de Dolo. Maximus de quo in l. hæreditatum eod. Tit. Hermogenianus de quo in l. minor, ff. de Minorib. Aphricanus de quo in l. mandaſti eod. Tit. cuius reſponſa adeò obſcura ſunt vt in prouerbium ierit, lex Aphricani, id eſt, difficilis. Florẽtinus de quo in l. coram, ff. de verb. ſignificat. Triphonius de quo in l. auxilium, ff. de Minorib. Claudius Saturninus de quo in l. aut facta, ff. de Pœn. Caliſtratus de quo in l. etiam, ff. de Minorib. Venuleius Saturninus de quo in l. Diuus, ff. de Pœn. Iulius Aquila, & Aelius Gallus qui latiſſimè ſcripſit de verb. ſignificat.

Et hi omnes Iuriconſulti varios, ac propemodum infinitos reſponſorum libros ſcripſerunt, adeò quod tempore Iuſtiniani, immenſa, ac infinita erant legum volumina, ex legibus 12. tab. Populi, Plebiſcitis, Senatuſconſultis, Prætorum edictis, Principum placitis, & Reſponſis prudentum, vt vix percurrere, ne dicam cognoſcere, ſoli homini datum eſſet. Fuerunt enim Duo penè millia librorum, & plus quàm tricies centena millia verſuum, hoc eſt, paragraphorum, vt dicitur in l. vnica. §. ſed cùm oĩa. C. de Veter. Iur. Enucleãd.

Ideo

Ideo animaduertens, Iuſtinianus iuri operam dare, opus quodammodo deſperatum eſſe, ſciensque Imperatoriam maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportere eſſe armatam, vt vtroque tempore, & belli, & pacis rectè gubernare poſſet, vt dicitur in principio Inſtitutionum proinde cum difficillima bella, & res maximas armis geſſiſſet, cæpit etiam de togata adminiſtratione cogitare, vt Res P. legibus regeretur. Et ſicut Narſetis, & Belliſarij fortiſſimorū Ducum auſpicijs hoſtium vires, & copias debilitauit, ac fregit. Ita immenſa legum volumina, cæleſti fauore confiſus, opera Triboniani Dorothei, Theophili, ac aliorum, in vnum congeſſit, vt ſtudium Iuris tot anfractibus inuium, tot meandris perplexum peruium homini faceret. Id quod ante ipſum Pompeius magnus, & Iulius Cęſar niſi bellis impediti fuiſſent, facere in animum ſumpſerant.

Mandauit igitur in primis, vt Principum placita, maximè eorum qui ab Hadriano in ſuam vſque ætatem gubernarunt, (nam retro principū ſanctiones à Iulij Cæſaris temporibus vſque ad Hadrianum nullæ fermè nobis ſuperſunt niſi vel ab Hiſtoricis, vel à Iureconſultis in Pandectarum libris ex parte referantur) tribus codicibus, Hermogeniano, Gregoriano, & Theodoſiano, comprehenſa, in vnam cōſonantiam redigerent, & vnum ex omnibus componerent, ipſumq; vt plus auctoritatis haberet, Iuſtinianeum Codicem appellarent, l. 1. C. de Nouo Codi. faciem. & l. 1. C. de Iuſtin. Codi. confir. Ediditque regni ſui anno 2.

Deinde anno imperij ſui. 7. reliquas conſtitutiones, ac leges, quas iam ab anno ſui imperij. 3. componendas mādauerat, paſſim ſparſas & cōfuſas ex infinitis Populi, plebis, ſenatus, Prætorum, nec non veterum Iuriſconſultorū ſcriptis, & re-
48 ſponſis, huc illuc tanquam Sybillina eſſent folia diſſipatis in 50. libros pari cura enucleatos redigi & in lucem exire curauit. Qui & Pandectæ & Digeſta vulgo dicuntur.

Poſt hæc ne ſtatim ab initio rudis & adhuc infirmus ſtudioſi animus multitudine, & varietate rerum oneratus, duorum alterum, aut ſtudia deſereret, aut cum magno labore, ſæpe etiam cum diffidentia, quę iuueniles animos nō ſemel con-

cutit,

cutit,ſerius ad id perduceretur,ad quod leuiore via ductus,
49 ſine magno labore,& ſine vlla diffidentia maturius perdu-
ci potuiſſet, Compendium iuris partim ex 50. Pādectarum
libris,& Codice,partim ex Caij commentarijs in gratiam
iuuētutis collectum,in quatuor inſtitutionum libris ponen-
dum curauit,idque intra vndecim menſes poſt compilatio-
nem Digeſtorum fieri & edi voluit, & fuit xj. Calend.
Decembris anni ſeptimi ſui imperij.

Denuò proximo anno Imperij ſui 8. ad prioris Codicis emen-
dationem, & ad ſecundam eius editionem animum appli-
cuit,ipſumq́ue renouatum & emendatum,inſertis nonnul-
lis nouellis ipſiuſmet Iuſtiniani conſtitutionibus num. 50.
50 quæ poſt primam editionem interim factæ erant & qui-
buſdam detractis in lucem edidit, repetitam Codicis edi-
tionem appellans, & is eſt codex quē nunc habemus 12. li-
bris comprehēſus, vt quidam putant ad imitationē 12. tab.

Poſtremò cum nouæ in dies controuerſiæ,vt fit, ex negocio-
rum varietate emergerent, nouis legibus, vt nouis morbis
Medici ſolent, occurrere oportuit. Ideo nouas conſtitu-
tiones ſeù nouellas, quem vulgo Authenticorum librum
nūcupant in nouem collationes diſtinctum, in quibus 165.
51 conſtitutiones continentur,protulit,et in lucem efferri iuſ-
ſit, in quo etiam multæ leges tam Pandectarum quam Co-
dicis corriguntur & Authenticus liber iſte dicitur pro re
certe fidei eo quod ab originali græco ipſiuſmet Iuſtiniani
proceſſerit, vt ſcribit Alciatus lib. 2. Parerg. cap. 46.

Et hoc eſt totū ius ciuile auctore Iuſtiniano noſtro ex tot anti-
quorum voluminibus collectum & compoſitū, quod ſum-
mo ſtudio Græcia colere cæpit, & magna contentione
profiteri.

Verum vt ſunt rerum vices quadraginta poſt annis ius illud
ſanctiſſimum ſenſim collabi permiſit Phocas imprudens
Imperator, tam in conſeruandis legibus ignauus,quam re-
pellēdis hoſtium inſultibus vecors, nec multò poſt regnan-
tibus Longobardis in Italia,Romanæ leges per multos an-
52 nos iacuerunt, viceq́ue earum, Hunorum, Vandalorum,
Longobardorum,& Gothorum barbarę leges graſſabātur.

Vnde

Digitized by Google

Vnde Feudorum conſuetudines, & de conſeruandis familijs leges profluxerunt. ex quibus tandem Duo Feudorum libri conſtituti ſunt.

Euerſo poſtea Longobardorum cum eorum legibus imperio, quod ducentis tribus annis floruerat, nulla amplius reſtituendi iuris Romani ratio inueniri poterat, ſed trecentis viginti ſex annis poſt ſub Lothario Saxone Irnerius magnæ in aula Reginæ Mechtildis, auctoritatis, longo ſitu, & puluere propemodum conſumptos legum Romanarum libros euerſa Melfinita Ciuitate Apuliæ in Bibliothecis à Piſanis ripertos & ſumma religione aſſeruatos euulgat, eoſque in Scholis tractari, & in iudicijs locum habere voluit Lotharius Imperator Optimus, atque ita ius Ciuile iterum in magno honore haberi, & publicè edoceri cæpit; additis ſupradictis duobus Feudorum libris compoſitis partim ex conſuetudinibus de quibus diximus ſupra, partim ex conſtitutionibus imperialibus quales ſunt Conradi, Lotharij, Friderici primi & ſecundi, collectæ per Obertum de Orto, & Gerardum Capigiſti, quibus omnibus extrauagantes quædam adiectæ ſunt, quas commentauit Bart. & ita clauditur totum Iuris Ciuilis corpus, quo hodie vtimur.

Tertium caput eſt de iuris partibus & ſpeciebus in Titulo.

De Legibus, Senatuſconſultis & longa conſuetudine.

Tit. III.

SVMMARIVM.

1 *Quid veniat appellatione leges.*
2 *Quid ſit lex.*
3 *Quot ſint virtutes legis.*
4 *Quid ſit Senatuſconſultum.*
5 *Quid ſit longa conſuetudo.*
6 *Quæ ſit vis & auctoritas conſuetudinis.*
7 *Contradictum iudicium quid ſit.*
8 *Qualiter ſit facienda interpretatio legum.*

Legis

LEgis appellatione non populi tantum, ſed etiam Plebis ſcita ſignificantur, quæ ex l. Ortenſia non minorem auctoritatem habent, quàm totius populi iuſſa vt dicitur
1 in §. Plebiſcitum Inſtit. de iur. nat. Gent. & Ciuil.

QVID SIT LEX.

Lex definitur in l. 1. vt ſit commune præceptum virorum prudentium conſultum, & delictorum, quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur coërcio. Quod quidem verum eſt, ſi
2 ignorantia ſit iuris, quæ neminem excuſat l. 12. C. de iur. & fact. ignorant. vel facti, ſed con culpa l. 45. & 52. ff. ad l. Aquil. vbi punitur qui proiecit lapidem, & prætereuntem caſu percuſſit, ſecus ſi ſit ſine culpa vt in l. 9. §. fin. ff. ad l. Pomp. de parricid. vbi excuſatur furioſus qui interfecit patrem, quia ignorat quid agit, & ibi Bart. in eo qui dormiendo percuſſit alium, diſtinguit, dicens, aut ſciebat hoc euenire ſibi, quod, ſcilicet, dormiendo à lecto ſurgere, enſem euaginare, & ſimilia facere ſoleat, & tunc ſibi debet prouidere, vt iaceat ſolus, vel vt nemo ſit in camera ſua, & ſi non fecit eſt in culpa, & propter culpam tenetur, ſicut putator arboris, qui non admonuit tranſeuntes l. ſi putator, ff. ad l. Aquil. ſi vero hoc ignorabat parcitur ei, quia dormiens æquiparatur furioſo l. 1. §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſion.

QVOT SINT VIRTVTES LEGES.

Legis virtutes recenſentur in l. 7. quæ ſunt, imperare, vetare, permittere, & punire. Primò imperat lex ea quæ iuſta ſunt.
3 Secundo vetat, quæ ſunt iniuſta. Tertio permittit quędam, quæ nec iuſta, nec iniuſta omnino ſunt, veluti propter neceſſitatem famis furtum cap. ſi quis de Furt. filij venditionem l. 2. C. de Patrib. qui filios diſtraxer. permittit patri filiam in rebus venereis repertam occidere l. 23. ff. ad l. Iul. de adulter. & marito vxorem in adulterio deprehenſam l. Gracchus, & ibi not. C. ad l. Iul. de adulter. Quarto punit lex eos qui legibus non parent, ideo dicitur quod non Iu-

dex

dex condemnat hominem, ſed lex cap. de occidendis 18. q. 1. Addit Accurſ. aliam virtutem legis, conſulendi, quæ non obligat, ſed liberam tantum voluntatem excitat cap. quod debetur 14. q. 1.

QVID SIT SENATVSCONSVLTVM.

Senatuſconſultum eſt quod Senatus iubet atque conſtituit, nam non ambigitur Senatum ius facere poſſe l. 9. h. t. ſic Velleianum, quod mulieribus pro alio intercedentibus, Ma
4 cedonianum, quod filij familias mutuam pecuniam accipientibus, & Trebellianum, quod hæredibus vltra dodrantem grauatis ſuccurrit, pluraque alia ſenatuſconſulta facta fuerunt de quibus ſuis locis videbimus.

QVID SIT LONGA CONSVETVDO.

Longa conſuetudo eſt vſus diuturnitate temporis approbatus tantæ auctoritatis, vt vbi deficit lex pro lege ſeruetur, l. 32. 33. 35. & 36. vbi dubia eſt, eam interpretur l. 37. & 38.
5 & vbi contraria eſt, eam tollat d. l. 32. in fine. Et quidem cùm longo tempore inoleuerit conſuetudo contraria legi, euentus docet, eam legem moribus populi non conuenientem, atque ideo non ſeruandam eſſe, quia vt D. Auguſtinus dixit in cap. in iuſtis 4. Diſtinct. tunc leges firmantur, cum moribus vtentium approbantur. Atque hinc Solon interrogatus quas leges optimas condidiſſet Athenienſibus, reſpondit eas ſe iudicare optimas, quibus populus vteretur. Hinc Orat.

Quid leges ſine moribus vanæ proficiunt.

Et Plautus in Trinumo ludens in leges 12. Tab. quæ in æs inciſæ pendebant in foro, cùm interim praui mores dominarentur in Ciuitate, inquit.

Hæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis
Vbi malos mores adfigi nimio fuerat æquius.

Neque obſtat l. 2. C. Quæ ſit long. conſuet. vbi dicitur, conſuetudinis non vilem eſſe auctoritatem, ſed non vſque adeo vt

6 rationem vincat, aut legem: nam debet intelligi, omiſſis Gloſſæ, & Doctorum ſolutionibus, pro vt explicat Duarenus, nempè, quod licèt ſit magna auctoritas conſuetudinis, attamen non eſt tanta, quam lex, & propterea ſicut leges poſteriores derogant prioribus l. 28. ita & conſuetudines poſteriores legibus prioribus derogare debent, cùm eiuſdem roboris ſint, & eandem auctoritatem habeant.

Et quia eſt difficilis probationis conſuetudo, ideo vtile erit iudicium aliquod contradictum proferre quo ea confirmata

7 ta ſit l. 34. contradictum iudicium vocat Duaren. illud in quo altero ex litigatoribus contradicente, & talem non eſſe conſuetudinem contendente, iudicatum tandem ſit pro conſuetudine.

Qualiter ſit facienda interpretatio legum.

Legi adiuncta eſt interpretatio, in qua illud in primis obſeruandum eſt, vt diligēter ſingula verba legis perſcrutemur,

8 nam inciuile eſt, niſi tota lege perſpecta iudicare l. 24. Secundo vt benigniorem interpretationem, & ſemper quę vitio careat accipiamus l. 18. & 19. & vitioſa dicitur quoties ſcripturam potius, quam voluntatem ſequimur, nam ſcire leges non eſt earum verba tenere, ſed vim ac poteſtatem l. 17. Ideo in fraudem legis facere dicitur, qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumuenit l. 29. & ibi Accurſ. plura exempla refert, in quibus ex nimia verborum obſeruatione fraus legi fieri poteſt. Tertio quoniam iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur l. 8. & omnia legibus comprehendi non poſſunt l. 12. ideo de ſimilibus ad ſimilia eſt procedendum l. 13. & ad ea quæ frequenter potius, quam quæ raro accidunt lex adaptanda l. 5. cùm ex his, quæ fortè vno aliquo caſu accidere poſſunt, iura non conſtituantur l. 4. Quod ſi certi iuris lex ſit ceſſat interpretatio, & illud omnino eſt ſequendum, licet fortè nobis ratio cognita non ſit, nam non omnium, quæ à maioribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt l. 20. & ideo rationes eorum quę conſtituuntur inquiri non oportet l. 21. Sed ſufficit, quod

lex.

lex ita ſcripta ſit, quia etiam dura eſt ſeruanda, l. proſpexit, ff. Qui & à quibus. Et quia ſpecies & pars iuris eſt etiam conſtitutio principis, ideo & de hac dicitur in Titulo.

De Conſtitutionibus Principum.

Tit. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit conſtitutio.*
2 *Quotuplex ſit conſtitutio.*
3 *Principum beneficia latiſſimè ſunt interpretanda.*
4 *Differentia inter Beneficium, & Priuilegium.*
5 *Locrorum lex.*

QVID SIT CONSTITVTIO.

Conſtitutio eſt nomen generale ſignificans ius omne, quod à Principe animo condendi legem, ſtatuitur; habetque has ſub ſe ſpecies, Epiſtolam, Mandatum, Reſcriptum, Decretum, & Edictum. Quæ omnia vim legis
1 habent, & ſi non interuenerit populi conſenſus, ſed ſola principis voluntas. Sic enim accipienda ſunt, verba illa l. 1. Quod principi placuit legis habet vigorem.

QVOTVPLEX SIT CONSTITVTIO.

Conſtitutionum aliæ generales ſunt, quę ad omnes pertinent, & aliæ perſonales, quæ perſonam non egrediuntur, & ideo
2 ſi princeps ob merita indulget, vel pœnam remittit, aut perſonæ ſubuenit ad exemplum trahi non debet d. l. 1. Quia hæc propriè priuilegia dicuntur, & ſtrictè ſunt intelligenda l. 14. 15. & 16. ſupra de Legibus.

Secus tamen eſt in beneficijs, nam bèneficia principum latiſſimè ſunt interpretanda l. 3. quia liberalitas principis freno

Digitized by Google

ſubiacere non debet, l. pen. C. de Donat. inter vir. & vxor.

3 Scribit Herodotus, quod cum Alcmæon prægrandi tunica indutus, & calceis altiſſimis calceatus, acceſſiſſet ad Theſauros Cræſi, Cræſo permittente; ibi in aceruos aureorum procumbens primum referſit calceos auro, deinde omnes ſinus veſtimenti, quin etiam ramenta auri crinibus implicuit. os quoque & manus auro compleuit, exiuitque ſuffarcinatus non homini, ſed monſtro ſimilis, cuius os erat turgidum, & cuncta membra auro onuſta; quod cum vidiſſet Cræſus, dixit. Video certè quam beneficium principis eſt latiſſimæ interpretationis.

Differunt inter ſe Beneficium, & Priuilegium, quia Priuilegium eſt contra ius commune, Beneficium, ſecundum, aut

4 præter ius commune; Vtrumque tamen quando conceditur, intelligitur ſemper ſine preiudicio tertij l. nec auus, C. de Emancipat. liber. l. 2. §. merito, & §. ſi quis à principe, ff. Ne quid in loco publico.

Illud cauere debet Princeps, ne aliquid nouet contra ea, quæ diu iuſta viſa ſunt, quia, vt inquit Vlpian. in l. 2. in rebus nouis conſtituendis euidens vtilitas eſſe debet, vt recedatur ab eo iure quod diu æquum viſum eſt: memorabilis eſt Locrorum lex, cuius meminit Demoſtenes in Oratione contra Timocratem, qua cauebatur, ne quis nouam legem ad populum ferret, niſi inſerto prius in collum laqueo eam

5 populo exponeret, quod ſi lex populo placeret, ei pareret, ſi vero diſpliceret, ſtrangularetur. & hęc quò ad primam partem iuris abſolutè conſiderati.

Secunda Pars iuris relatiuè conſiderati, & ſuo obiecto accomodati, ſimiliter tria habet capita Primum eſt de perſonis, quarum perſonarum vna diuiſio eſt ex iure gentium, quo iure omnes homines aut liberi ſunt, aut ſerui, de qua in Titulo,

De

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit hominum ſtatus.*
2 *Qualiter conſideretur ſtatus hois reſpectu libertatis.*
3 *Qualiter conſideretur reſpectu ciuitatis.*
4 *Qualiter reſpectu familiæ.*
5 *Natus ſeptimo menſe iuſtus filius dicitur.*
6 *An vndecimo menſe iuſtus partus naſcantur.*

QVID SIT HOMINVM STATVS.

STatus nihil aliud eſt niſi qualitas & conditio hominis reſpectu libertatis, ciuitatis, vel familiæ, quæ ſi mutetur ſequitur capitis dimiuutio maxima reſpectu libertatis, media reſpectu ciuitatis, & minima reſpectu familiæ vt infra in Tit. de Capit. diminut. per totum.

Qualiter conſideretur ſtatus hominis reſpectu libertatis.

Prima conditio hominis reſpectu libertatis proponitur in l. 3. quæ eſt, quod omnes homines, aut liberi ſunt, aut ſerui; Libertas definitur in l. 4. naturalis facultas eius quod cuique facere libet, niſi vi, aut iure prohibeatur, & ſeruitus, conſtitutio iuriſgentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubijcitur, hoc eſt, contra id quod in primo naturæ ſtatu fuit, quo omnes homines liberi naſcebantur. Et rurſus
2 in l. 5. ſeruorum quo ad ſtatum vnam eſſe eorum conditionem dicitur, ſed quo ad modum alios eſſe de iure gentium qui ab hoſtibus capiuntur, aut ex ancillis noſtris naſcuntur, & alios de iure ciuili, qui ad pretium participandum cum maiores 20. annis ſint, ſe venundari patiuntur. Liberorum verò alios eſſe ingenuos, & alios libertinos. Et ingenui vocantur, illi qui ex matre libera nati ſunt, ſufficitque aliquo tempore matrem fuiſſe liberã vt in d. l. 5. 18. 22. nam

qui

Digitized by Google

qui eſt in vtero ſemper quando de eius commodis agitur pro nato habetur l. 7. & 26. imo eodem momento quo partus naſcitur, ſi mater libera efficiatur, partus ſimul cō libertate ſolem reſpicit l. 15. & 16. Libertini autem ſunt qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt l. 6. & 22.

Qualiter conſideretur ſtatus hominis reſpectu ciuitatis.

Altera cōditio hominis reſpectu ciuitatis proponitur in l. 17. vbi dicitur quod omnes qui in Imperio Romano ſunt ex conſtitutione Imperatoris Antonini Ciues Romani effecti ſunt, quod eo pertinet ut magiſtratus creari, & honores in
3 ciuitate adipiſci poſſent, nec nō legitimas hæreditates adire, teſtamenta facere, liberos in poteſtate habere, & ſimilia. l. 1. C. de Hæred. Inſtit. l. 1. ff. ad l. Falcid. Inſtit. de Patr. poteſt. tradit Duaren. hic, & Alciat. Diſpunct. lib. 2. cap. 21.

Qualiter conſideretur ſtatus hominis reſpectu familiæ.

Tertia pars ſtatus hominis reſpectu familiæ eſt, quod filij nati ex iuſtis nuptijs ſequuntur patrem, vulgo quæſiti matrem l. 19. & qui ſint vulgo quæſiti declaratur in l. 23. & natum
4 etiam ſeptimo menſe nuptiarum, iuſtum filium eſſe ex auctoritate Hippocratis, oſtenditur, in l. 12. recepta enim eſt inter medicos, & philoſophos opinio, gigni hominem, ſeptimo menſe, nono, & decimo, & quandoq; etiam vndecimo, quem tamen, ſummum, atq; vltimum finem eſſe voluerūt. Varo autem lib. 14. rer. diuinar. in menſibus genitalibus nominandis non prętermiſit octauum, eiuſque ſententiæ Ariſtotelem laudat auctorem lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 4. Id tamen non omittam dicere, octauum menſem in Italia, & Græcia non eſſe vitalem, ſed bene in Aegypto, imò apud eos ita frequentem, ſicut apud nos nonum, & decimūm. Inter Iuriſconſultos verò vltra decimum menſem, tempus
5 pariendi non videtur conceſſum: Et ideo poſt decem menſes

Digitized by Google

ſes mortis patris natus non admittitur ad paternam hæreditatem l. inteſtato.ff.de ſuis & legit. hæred. l.Gallus. ff. de liber. & poſth. Auth. de Reſtitut. & ea quæ parit in vndecimo menſe. At non nulli contra hoc obijciunt, Adrianum Imperatorem cùm matrona quædam Romana vndecimo
6 menſe peperiſſet; accerſitis philoſophis, ac medicis, & mulieris pudicitia cognita, decreuiſſe partum fore legitimum, & ad legitimam hæreditatem eſſe admittendum, quemadmodum ab Aulo Gellio relatum eſt Noctium Atticarum lib.7. cap.16. Vnde Alciatum non puduit Paradox. lib.3. cap.7. quaſi iniuſtitiæ & iniquitatis, vel certe nimis rigoris Iuſtinianum noſtrum arguere, qui in d.auth.de Reſtitut. & ea quæ parit in vndecimo menſe, in §. Vnum ſiquidem; mulierem damnauerit, ob id quod vndecimo menſe peperiſſet, nec erubuit Alciat. à Caſtris Iuſtiniani tam leui ex cauſa deficere. Occuramus igitur huic difficultati, & dicamus, ad iuſtum, ac certum pariendi tempus legislatores voluiſſe ſe referre, & ideo cùm raro id euenire ſoleat, vt mulier in vndecimo menſe pariat, propterea apud Iuriſconſultos non haberi in conſideratione ad l. nam ad ea. ff. de legibus. Sic in ſimili videmus, quod licet in 14. anno quis generare poſſit, tamen non poteſt adoptare niſi. 18. annis adoptatum præcedat vt in §. minorem Inſtit. de Adopt. ea ratione, quia licet re vera in 14. anno leges præſumpſerit adeſſe poſſibilitatem generandi, attamen quia in adoptione de certa generatione agitur, leges ſe retulerunt ad ætatem in qua non ſolum ſit poſſibilis generatio, ſed à communiter accidentibus omnes puberes ſunt, vt dixi in d.§.minorem. Poſſumus etiam dicere Adrianum Imperatorem dinumeraſſe tempus à conceptione, pro vt Varro, Plin. & cæteri dinumerare ſolent quam quidem dinumerationem etiam noſtris legibus vſque adeo comprobatam video, vt affirmare auſim, etiam vndecimo menſe iuſtum partum naſci poſſe, nam ſi nouiſſimo die decimi menſis poſt mortem patris iuſtus partus naſcitur, certe à conceptione vndecimo menſe naſci, neceſſe erit, nec enim eadem ipſa die mortis concepiſſe, veriſimile, aut poſſibile eſt, niſi morte repentina

obijſſet,

Digitized by Google

obijſſet, quod tamen tanquam de raro eueniens, in conſideratione habendum non eſt. At quia dies conceptionis, aut obſcurus, aut omnino incognitus eſt, & conſequenter dinumeratio ab eo fallax eſſet, propterea noluerunt legislatores ſub incerto principio vagari, ſed ex certo initio; certū etiā finem præſcribere voluerunt, ad duo potiſſum reſpicientes, vnum ne ex nimio anguſto pariendi tempore, verus filius excludatur. Alterum, ne ex nimio longo, viduis ſtupri occaſio præbeatur. Quod conſequi poſſe exiſtimarunt, ſi certam naſcendi metam à morte præfinirent, eamque decem menſium, ſtatuerent. Nec obſtat ſi dicatur, quod per hoc non tollitur occaſio ſtupri viduis nono menſe gignere ſolitis, quoniam Reſp. huius rei naturam eam eſſe, vt per omnia fraudibus abſque partus detrimento, obuiari nequeat, & ideo ſatius, iudicauit lex falli poſſe, quam per talem ſuſpitionem verum filium excludere, ſicut & in ſimili ſtatuit, melius eſſe nocentem abſoluere, quam innocentem condemnare l. abſentem. ff. de Pœnis.

Altera diuiſio perſonarum eſt ex iure ciuili, quo iure homines partim ſui iuris, & partim alieni iuris eſſe cenſentur, de quo in Titulo.

De his qui ſunt ſui vel alieni iuris. Tit. VI.

SVMMARIVM.

1 *Qui dicantur ſui, & qui alieni iuris.*
2 *Quis proprie filius dicatur.*
3 *Qualiter diminuatur patria poteſtas.*
4 *Filius familias in publicis cauſis habetur pro patre familias.*

Qui ſui, & qui alieni iuris eſſe dicuntur.

SVi iuris ſunt Patresfamilias, Alieni iuris ſerui de quibus in l. 1. & 2. & Filij familias ex iuſtis nuptijs, nati de quibus in l. 3. 4. & 5. in quibus legibus declaratur etiam qualiter ipſa patria

patria poteſtas acquiratur, & in eſſe deducatur, tam in perſona filij, quàm nepotis. Et ad cognoſcendum poſtea, quis dicatur propriè filius, & qualiter probetur filiatio, habetur in l.6. & quia etiam dubitari poterat, ſi lata eſſet ſententia pro filio contra patrem in cauſa alimentorum, an talis ſen-
2 tentia præiudicet ipſi patri, ſi eundem neget filium ſuum eſſe, & dicitur in l.10. quod non intellige quādo incidenter, ſecus ſi con plena cauſæ cognitione lata eſſet, nam tunc præiudicaret non ſolum quo ad alimenta, ſed etiam quo ad cætera alia omnia l. qui liberos. ff. de Ritu nupt. l.fin §. neque enim leges. C. de Dotis promiſſion. & hactenus quali-
3 ter patria poteſtas acquiratur, qualiter autem diminuatur habetur in l.9. in qua dubitatur, numquid patria poteſtas ſicut cōſideratur in his quæ ad familiam pertinent, ita etiam conſideretur & in his quæ ad Rem P. ſpectant, & dicitur quod non, quia in publicis cauſis filiusfamiliàs habetur pro paterfamiliàs, intellige ſi agat vt perſona publica, veluti ſi magiſtratum gerat, aut tutor detur, vt dicitur in d.l.9. ſecus ſi tanquam priuatus aliquid faciat vt teſtamentum, nam licet ſit publici iuris l.3. ff. de Teſtam. tamen filiusfamilias facere non poteſt.

Et quia alieni iuris ſunt etiam hi qui adoptantur, & multi modi ſunt per quos patria poteſtas ſoluitur, ideo ſubijcitur Titulus.

De Adoption. & Emancipat. & alijs modis quibus patria poteſtas ſoluitur.

Tit. VII.

SVMMARIVM.

1 *Origo Adoptionis.*
2 *Quid ſit Adoptio.*
3 *Quæ requirantur in Adoptione.*
4 *Quid ſit legis actionem habere.*
5 *Quę requirantur in Adrogatione.*

H 6 Cur

6. Cur requiratur maior ſolemnitas in Adrogatione, quã in Adoptione.

7 Qui adoptare poſſint, & qui non.

8. Quid ſit emancipatio.

ORIGO ADOPTIONIS.

ADoptionis originem, & vſum, vel ex eo vetuſtiſſimum eſſe conſtat, quod à filia Pharaonis Moſem adoptatum fuiſſe ſacræ teſtantur litteræ Exodi cap. 2. Thæſeum item fortiſſimum illum Athenarum Regem, herculeę virtutis æmulum ab Aegeo adoptatum legimus, talemque in alienam familiam tranſitum, magna ratione veteres indu-
1. xerunt, ad leniendum nempè dolorem, & in ſolatium eorum, qui nullum, aut ſterile matrimonium experti liberos non habebant, aut quos habuerãt infelicitate fortunæ amiſerant, vel habebant, ſed degeneres, & improbos, aut debiles, malaque valetudine affectos, & hoc ne familiarum dignitas naturalis ſobolis penuria periret; Sicque lex benigna mater defectum naturæ ſupplens, ſterilitati, & mortalitati deficientium familiarum medetur. Hac ratione Aphricanus maior cùm filium haberet minus benè valentem, & gignendis liberis parum idoneum, Pauli Aemilij filium adoptauit, qui poſtmodum ob delectam feliciter Carthaginem Aphricanus minor dictus fuit. Sic Auguſtum à Iulio Cæſare, Tyberium ab Auguſto, Traianum à Nerua, Aeliũ Adrianum à Traiano, ab Adriano Antoninum, & à Iuſtino Iuſtinianum adoptatos legimus; tamque neceſſarius viſus fuit ſapientibus hic adſciſcendi liberos modus, vt Plato cõſtituerit lib. 9. de Legibus, plures maſculos filios habentem teneri omnes præter vnum, quem ſibi retineret, ciuibus qui non haberent, & id poſtulantibus tradere.

QVID SIT ADOPTIO.

Adoptio eſt legitimus actus ad eorum qui liberos non habent ſolatium inuentus, per quem autoritate iuris ciuilis, qui filius non eſt, ad ſimilitudinem naturæ filius efficitur. Eſtque nomen.

2 nomen generis comprehendens, & adoptionem, & adrogationem, l. 1. Adoptantur tamen filij familias; Adrogantur qui ſui iuris ſunt, d. l. 1.

Quæ requirantur in adoptione.

In adoptione requiritur autoritas magiſtratus l. 2. qui legis actionem habeat l. 4. & quia voluntariæ iuriſdictionis eſt, neque enim fieri poteſt, niſi & adoptantis, & adoptati ſi-
3 mul conſenſus interueniat, ac etiam patris adoptati, ſi patrem habeat l. 5. ideo Magiſtratus apud quē legis actio eſt, & emancipare filios ſuos; nam & hæc voluntariæ iuriſdictionis eſt, & in adoptionem dare apud ſe poteſt d. l. 4. Quod ſi quis aliquem in nepotem adoptet quaſi ex filio, tunc etiam filij conſenſus requiritur, ne ei inuito ſuus hęres adgnaſcatur l. 6. & 11. ſecus tñ eſt, ſi in nepotis locū ſimpliciter adoptet, nā tunc conſenſus filij nō requiritur, cum nec adoptatus ei ſuus hæres adgnaſcatur, vtpotè qui magis ex alio filio, quem adoptans habere potuit, quàm ex hoc adoptatus eſſe intelligatur, l. 43. & 44. Sed quid ſit, magiſtratum
4 legis actionem habere, declarat Accurſ. in d. l. 4. dicens eum eſſe apud quem actus legitimi explicari poſſunt. Budęus & Alciat. legis actionem, modò ad ceſſionem in iure actionis formulam antiquiſſimam referunt de qua apud Caium lib. 2. Inſtit. modò apud eum legis actionem eſſe dicit Budęus in d. l. 4. qui plenam iuriſdictionem habet, & apud quem experiri omni actione aduerſus vnumquemque poſſumus, & Alciat. Parerg. iur. lib. 3. cap. 2. qui merum, & mixtum imperium habet. Hinc Actor lege agere dicitur, qui actionem ex legum præſcripto intendit, & exercet l. Barbarius infra de Offic. Prætor. Cicer. lib. 1. de Orat. Alter inquit, plus, lege agendo petebat, quàm quantum lex in 12. tabulis permiſerat. & Rurſus, cùm egiſſet lege in hęreditatem paternam, teſtamento exhæres filius, quæſitum eſt de iure Ciuili, poſſet ne paternorum bonorum exhæres eſſe filius.

Quæ requirantur in Adrogatione.

In adrogatione requiritur maior ſolemnitas, nempè, autoritas Principis d.l.2.conſenſus adrogati, & adrogantis d. l. 2. & 5.cauſæ cognitio l.15.& 17.de qua cauſæ cognitione agitur apud Cicer. in Orat.pro domo ſua,vbi de Claudij adoptione differit. Et ſi impubes adrogetur requiritur etiam ſatiſdatio,de reſtituẽdis bonis iјs ad quos bona perueniſſent, ſi adrogatio facta non fuiſſet l.18.& 19.quæ tamen ſatiſdatio locum habet ſolum,ſi adrogatus impubes decedat, nec vltra extẽditur l.20. Et ratio eſt, quia poſt pubertatem ceſſat intereſſe eorũ qui ei pupillariter fuerint ſubſtituti, cùm pupillaris ſubſtitutio expiret adueniente pubertate §. finitur Inſtit.de Pupillar.Quod ſi pater alias etiam ſubſtitutiones fecerit,veluti fideicommiſſarias,quæ adhuc poſt pubertatem durant; tales in conſideratione habendæ nòn ſunt, quia cum non ſint teſtamentum pupilli, ſed patris non extinguuntur per adrogationem impuberis, ſicut pupillaris, quæ eſt teſtamentum filij.Imo durant,& poſſunt peti ex teſtamento patris etiam durante adrogatione l. in adrogatorem,ff.de Pecul.§.fin.con Gloſſ.Inſtit. de Acquiſit.per adrogat. Sed dubium eſt, cur non extendatur ſaltem propter venientes ab inteſtato, qui omni tempore ſucceſſiſſent, ſi adrogatio facta non fuiſſet. Reſpondeo, quòd poſt pubertatem venientes ab inteſtato propter adrogationem, non patiũtur certitudinaliter damnum ſicut ante pubertatem.. patet, quoniam ſi adrogatus factus fuiſſet maior potuiſſet facere teſtamentum, inſtituere extraneos, & venientes ab inteſtato excludere; ideo lex non curauit in hoc caſu prouidere, cum certitudinaliter non fuiſſent omnino ſucceſſuri,prout curauit prouidere, quando eſt impubes, nam tunc certitudinaliter ſucceſſiſſent.

In adrogatione autem ideo maior ſolẽnitas requiritur quàm in adoptione, quia adrogatus tranſit in familiam, & poteſtatem adrogantis ſimul con omnibus ſuis liberis & bonis, ſi quos in poteſtate habet l.2.15.& 40. quod nõ eſt in adop-

tato, qui tranſit quidem in familiam, ſed non in poteſtatem adoptantis l. 10. C. eod. niſi adoptetur ab Aſcendente d. l. 10. §. ſi vero item adrogatus filius ſuccedit patri adrogatori, & ex teſtamento, & ab inteſtato, & etiam contra teſtamentum, & ideo ſi prætereatur vel ſine iuſta cauſa exhæredetur: vltra bona ſua omnia, quæ ad adrogatorem tranſtulit, conſequitur etiam ex conſtitutione D. Pij quartam bonorum adrogatoris, §. item non aliter Inſtit. de Adopt. l. 22. hoc Tit. & l. 10. §. vlt. C. eod. At adoptatus ſuccedit quidem ab inteſtato patri adoptiuo etiam ſimul con alijs filijs legitimis, & naturalibus, ſed non contra teſtamētum, §. ſed hodie Inſtit. de Adopt. & d. l. 10. §. Sed ne articulum niſi ſit adoptatus ab Aſcendente, nam tunc ſuccedit etiam contra teſtamentum, §. adoptiui Inſtit. de exhæredat. liber. §. 1. Inſtit. Quib. mod. teſt. infirment, l. 1. & l. non putauit, §. ſi quis, ff. de Bon. poſſeſſ. contra tab. Item Adrogator ſuccedit ab inteſtato filio arrogato poſt pubertatem, §. 1. Inſtit. de Acquiſit. per arrogat. & quidem in totum & ſolus ſi filij non extent, qui eum excludant ſecundum Gloſſ. ibi. vel non extent fratres, aut ſorores vtrinque coniuncti, qui in capita ſimul con eo admittantur; §. mortuo eod. Tit. de Acquiſit. per arrogat. Dixi poſt pubertatem, quia ſi impubes decedat, patri adrogatori nihil debetur, ſed tota hęreditas, vel parentibus ſi extent defertur, vel alijs proximioribus agnatis ex cautione quæ præſtari ſolet, quando quis arrogatur, de qua ſupra diximus. At adoptiuus pater non ſuccedit filio adoptato d. l. 10. §. ſed ne articulū, niſi ſit Aſcēdens d. l. 10. §. ſi vero.

Qui adoptare poſſint, & qui non.

Qui adoptare poſſint, & qui non habetur in l. 9. 16. 30. 37. 40. & 43. circa quas obſeruādum eſt, nam dicitur in l. 16. quod adoptio in his perſonis locum habet, in quibus etiam natura poteſt habere; & tamen in l. 37 habemus quod quis nepotis loco adoptare poteſt, etiam ſi filium non habeat, quod quidem ſecundum naturam impoſſibile eſſe videtur, vt qui filium non habet, nepotem habere poſſit.

E con-

E conuerſo verò habemus in l.40. quod adoptans decem & octo annis adoptatum præcedere debet, & tamen in 14. anno quis poteſt contrahere matrimonium generare, & filios habere. Reſpondeo ad primum, eum qui in locum nepotis adoptat fictione quadam, & commentitio iure videri filium habuiſſe, id quod lex iure fingere poteſt, cum hoc poſſit eſſe ſecundum naturam habitu, quamuis actu non ſit. Ad ſecundum Dico, quod quamuis re vera in 14. anno leges præſumpſerint adeſſe pubertatem ad poſſibilitatem generandi, tamen quoniam in adoptione de ciuili & certa generatione agitur leges ſe retulerunt ad ætatem, in qua non ſolum ſit poſſibilis generatio, ſed à communiter accidentibus omnes puberes ſunt argumento l. nam ad ea, ff. de legibus.

QVID SIT EMANCIPATIO.

Emãcipatio eſt paternæ poteſtatis relaxatio, & eſt vnus ex modis, quibus patria poteſtas ſoluitur de quo in l.15.§.qui duos in l.25.28.31.32.33.36.& 41. Alios ſoluendæ poteſtatis modos, & ſi Titulus polliceatur, attamen de ipſis nihil particulariter dicitur; Sed d. Rubricæ particula; & alijs modis &c. adiecta eſt, vt opinor propter leges quaſdam huius Tituli generales, quæ pertinent ad quemcunque modum ſoluendæ patriæ poteſtatis vt in l.12.& 13.

Secundum caput iuris relatiuè conſiderati, & ſuo obiecto accomodati eſt de Rebus in Titulo.

De Rerum diuiſione, & qualitate. Tit. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Quot ſint rerum Genera.*
2 *Quæ res iuris diuini eſſe dicantur.*
3 *Quæ dicãtur eſſe iuris humani*
4 *Quę ſint res corporales, et quæ incorporales.*

QVOT

QVOT SINT RERVM GENERA.

1 RErum omnium Duo ſunt genera; nam aliæ diuini, & aliæ humani iuris ſunt l. 1. h. t.

QVÆ RES DIVINI IVRIS SINT.

Diuini iuris ſunt, Res ſacræ quæ Deo ſacratæ ſunt l. 6. §. ſacræ Religioſæ in quibus mortui ſæpeliendi gratia inferuntur
2 d. l. 6. §. religioſum, & Sanctæ, quæ ſanctione quadam ab hominum iniuria cõfirmatæ ſunt, vt portæ, & muri ciuitatum l. 8. 9. & vlt.

QVAE RES SINT HVMANI IVRIS.

Humani iuris ſunt, res prophanæ, quæ aut ſunt communes, vt aer, aqua profluens, mare, & litora maris l. 2. 3. & 4. Ouid. 6. Metamorph.

Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum eſt
Nec ſolem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues vndas, ad publica munera veni.

Aut publicè vt flumina, portus, & ripæ l. 4. 5. & 10. aut vniuerſitatis, vt theatra, ſtadia, & ſimilia l. 6 §. vniuerſitatis, aut
3 ſingulorum, quæ ex varijs cauſis cuique adquiri poſſunt l. 1. & 2.

Item quædam res ſunt corporales, vt fundus, homo, &c. & quædam incorporales, vt hæreditas, vſusfructus, obligatio,
4 ſeruitutes, & ſimilia d. l. 1. §. quædam.

Tertium caput iuris relatiue conſiderati eſt de Actionibus quarum principia in tribus potiſſimum verſantur. Alia enim verſantur in deſcribẽdis magiſtratibus, a quibus actio impetrari, & coram quibus inſtitui debet de quo à Tit. *de Senator.* vſque ad Tit. *de in ius vocand.* Alia in præluſorio actoris, & rei certamine à d. Tit. *de in ius vocand.* vſq; ad Tit. *de in integr. reſtitut.* Alia in actionibus reſtituendis & purgandis à d. Tit. *de in integr. reſtit.* vſque ad finem libri

Quarti,

Digitized by Google

Quarti, & per conſequens vſque ad finem primi tractatus.

Iterum quo ad Magiſtratus attinet, triplicem gradum obſeruare debemus.

Primus eſt, quia alij ſunt in Vrbe in Tit. *de Senator.* con ſex alijs Titulis ſequentibus. Alij extra Vrbem, vt in Tit. *de Offic. Proconſul. & Legat.* con alijs quatuor Titulis ſequentibus.

Secundus gradus eſt, quia alij ſunt Ordinarij vt in d. Tit *de Senat.* con vndecim alijs Titulis ſequentibus. Alij Delegati vt in Tit. *De officio eius cui mand. eſt iuriſdict.* quibus omnibus accedunt Aſſeſſores de quibus in tit. *de Offic. Aſſeſſor.*

Tertius eſt, nam aut conſiderantur reſpectu officij, vt in Tit. *de Offic. Conſul.* con duodecim alijs Titulis ſequentibus. aut reſpectu iuriſdictionis vt in Tit. *de Iuriſdict. omn. iudic.* con duobus alijs Titulis ſequentibus.

Inter Magiſtratus qui in Vrbe ſunt. Primo loco recenſentur ſenatores de quibus in Titulo.

De Senatoribus. Tit. IX.

SVMMARIVM.

1 *Qui Senatores eſſe dicantur.*

2 *Qualis eſſet ſenatus auctoritas.*

3 *Quot olim eſſent ſenatorum genera.*

4 *Qui ſint effectus ſenatoriæ dignitatis.*

QVI SINT SENATORES.

ROmulus condita vrbe centum viros elegit, quorum conſilio Rem P. moderabatur, quos ab ætate, & probitate Senatores dixit, vt tradit Liu. lib. 1. Priſci enim optimos quoſque viros ſenes nominabant, vt Cicero de ſenectute ſcribit. Eorumque Collegium Senatum vocauit. Hos etiam Patres appellare illi placuit, non tam ob honorem, quam vt con-

continuò recordarentur, oportere eos paterna pietate humiliorum cauſas tractare.

Qualis eſſet Senatus auctoritas.

Fuit apud Senatum omnis Rei P. cura, adeo vt, nec Rex, Dictator, Conſul, aut Imperator, inconſulto Senatu, ſe de Re P. vllatenus interponeret, vnde frequenter in iure noſtro legimus D. Marcum, alioſque Cęſares orationes apud Senatum habuiſſe, vt ei quod rogabant, more maiorum Senatus auctoritas accederet l. oratio. ff. de ſponſalibus. l. cum
2 hi. ff. de Tranſact. l. diuus. ff. de ſeru. fugit. l. cum hic ſtatus. ff. de Donat. inter vir. & vxor. &c. Verum enim verò centum viri qui litibus iudicandis longo poſt interuallo creati fuerunt & de quibus in l. 2. §. deinde cum eſſet ſupra de origin. iur. à ſenatoribus longè latèque differebant, nam ſenatores moderandæ ſoli reipublicæ intenti, controuerſas priuatorum lites non iudicabant.

Quot olim eſſent Senatorum genera.

Senatores triplicis generis fuiſſe conſtat. Patricios, qui à centum illis patribus à Romulo primum creatis originem traxerunt. Conſcriptos, qui poſtea in eorum locum, & ordi-
3 nem conſcripti fuerunt. Et Pedarios, qui facultatem dicendæ ſententiæ non habebant, ſed taciti in aliorum ſententias pedibus ibant.

Qui ſint effectus ſenatoriæ dignitatis.

Dignitas ſenatus communicabatur non tantum ipſis ſenatoribus, ſed etiam eorum vxoribus, poſt mortem quoq; ipſorum, & donec alijs inferioris ordinis nō nupſerint l. 8. item & liberis, omnibusq; eorum deſcendentibus ſiue naturales, ſiue adoptiui ſint. l. 10. etiam ante ſenatoriam dignitatem

Digitized by Google

ſuſceptis,& natis,l.5.item et poſt mortem patris l.7.non ſic conceptis, & natis,poſt amiſſam patris dignitatem,licet; ſi concepti ſint antequã pater a ſenatu remoueatur, ſenatoris
4 filij dicantur.d.l.7.item & emancipatis d.l.7. niſi ſint adoptiui,qui dignitate patris,adoptiui gaudent quamdiu in familia eius manent non emancipati l.6.retinent tamen ſemper dignitatem patris naturalis,& ſi ab alijs etiam inferioris dignitatis adoptati ſint.d. l.6.

Secundo loco inter magiſtratus qui in vrbe ſunt recenſentur Conſules de quibus in Titulo.

De Officio Conſulis.

Tit. X.

SVMMARIVM.

1 *Quod ſit Conſulis Officium.*
2 *Conciliatur l.1.h.t.con l.ſi rogatus §.fin.ff.de Manumiſſ.vindict.*

Quod ſit Conſulis Officium.

COnſulis Officium erat præbere conſilium manumittere volentibus, & alia facere de quibus in l.1. Circa quam animaduertendum eſt, dum in ea dicitur quod Conſul apud ſe manumittere non poteſt, ſi eueniat quod minor 20.
1 annis ſit;nam totum contrarium videtur ſtatuere idem Vlpianus auctor vtriuſque legis in l. ſi rogatus.§.fin.ff.de Manumiſſ. Vindict. dum ibi ſcripſit; Conſulem apud ſe manumittere poſſe etiam ſi euenerit,vt minor 20.annis ſit.Vterque enim locus accipiendus eſt;quod ſcilicet,nõ poſſit manumittere, ita vt ipſe cauſam manumiſſionis examinet ſic
2 procedit lex noſtra. Cæterũ probata manumittendi cauſa apud collegã poterit ipſe manumittere vt in d.l.ſi rogatus.

Tertio loco recenſetur Præfectus prætorio,de quo in Titulo.

De

Digitized by Google

De Officio Præfecti Prætorio.

Tit. X I.

S V M M A R I V M.

1 *Qui ſint Præfecti Prætorio.*
2 *Vbi eſſent eorum ſedes.*
3 *Qualis olim eſſet eorum dignitas.*
4 *Quibus comparentur.*

Qui ſint Præfecti prætorio.

QVales apud Reges Tribuni celerum, apud Dictatores magiſtri equitum tales fuere Præfecti prætorio apud Cæſares, qui cum bellis alijsq; negotijs occupati, in omnibus, liminibus imperij quod valde amplum erat, adeſſe non poſſent, Prætoria, ideſt, ſedes, & Atria erexerunt quibus in re militari exercitatiſſimos, et iam omnibus prope honoribus perfunctos, præfecerunt.

Sedes præcipuas horum Præfectorum prætorio, quatuor fuiſſe conſtat. Vna erat in Oriente. Altera in illirico de quibus
2 in Tit. *de Officio* Præfecti prætorio Orientis & Illirici Tertia in Africa de qua in Tit. de Officio Præfecti prætorio Africæ. & Quarta in Italia de qua in Codice Theodoſiano in l. 12. in Tit. de Extraordinarijs muneribus Tit. 16. lib. 11.

Qualis olim eſſet eorum dignitas.

Horum dignitas, & poteſtas maxima fuit, nam ſupremi iudices erant, de appellationibus aliorũ cognoſcebant, l. præcipimus, C. de Appellat. ipſi verò ſine appellatione ius dice-
3 bant aduerſuſque eorum ſententias ipſimet non alij magiſtratus reſtituebant l. 1. h. t. l. vnica, C. de Sentent. Præfect. prætor. Præter Ciuiles & Criminales cauſas, belli etiam, & armorum adminiſtrationem tractabant, nec modo res bellicas, ſed etiam diſciplinam benè viuendi curabant, vt in d.

l. 1. In iudices inferiores animaduertebant, ac ius dummodo nihil legibus contrarium facerent, ſtatuebant l. 2. & 3. C. eod. Sicque poteſtatem principi proximam, & propè æqualem habebant. Libellus tamen ei datus litis conteſtationem non inducebat l. 1. C. eod. ſicut principi datus l. 1. C. Quando libell. principi dat lit. conteſtat. fac.

QVIBVS COMPARENTVR.

Sed quibus hodie Præfecti prætorio comparentur dubium eſt. Accurſius Cardinales, & Epiſcopos his comparauit. quã
4 opinionem Bart. & nonnulli alij probant, Alij iure reprehendunt. Bald. & Iaſ. Regibus ſimiles aiunt, quod ab his, ſicut ab illis prouocatio non fit. Marius Salamonius Præfectis prætorio Apoſtolico, qui vulgò Auditores Rotæ dicuntur, æquiparat. Budæus variat, & nunc magno Franciç Cãcellario, nunc Conſtabulario, nunc Magno magiſtro hoſpitij ſimiliores affirmat. Hiſpani auctores Præfectum prætorio eum interpretati videntur, quem vulgo ſupremo Regis conſilio Præſidentem vocant. & dubia quidem res ſte.
Quarto loco recenſetur Præfectus Vrbis, de quo in Titulo.

De Officio Præfecti Vrbi.
Tit. XII.

SVMMARIVM.

1 *Quod ſit officiũ Prefecti Vrbi.*
2 *Ad quid & vſque ad quem locum extenderetur eius poteſtas.*
3 *Lapidem pro milliario Romã auctores accipiunt.*

Quod ſit Officium Præfecti Vrbi.

PRæfectus Vrbi ius dicebat in vrbe, & criminum omniũ cognitio, quæ intra vrbem admittebãtur, ad ipſum pertinebat l. 1. Cura etiam annonæ ad eius officium ſpectabat d. l. 1. §. cura carnis, Item quies popularium, diſciplina ſpecta-

1 ſpectaculorũ,& cætera id genus de quibus in d.l. 1. §. quies: varijsq; pœnis vtebatur, animaduertẽdo in facinoroſos vt in d.l. 1. Cauſarum verò ciuilium, & pecuniarum nulla ei cognitio erat. Præterquam certis ex cauſis, veluti in negocijs argentariorum vt in l. 2. Verum hæc poteſtas vrbis fi-
2 nes, aut certè centeſimum lapidem, ſeu milliare non excedebat l. 1. §. cum vrbem, & l. vlt. Milliaria enim conſtitutis lapidibus ſignabantur. Primusque fuit Gaius Gracchus, ſi Plutarcho credimus in vita Gracchorum, qui ſingulis mil-
3 liarijs lapideas columnas ſpacijs ſigna præferentes defixit. Inde factum, vt lapidem pro milliario boni authores frequenter vſurpent Martial. lib. 3. Epigram.

Ad lapidem Torquatus, habet prætoria quartum

& Tranquillus de Tyberio, iterum Appia vſque ad ſeptimum lapidem, ſed proſpectis modo, nec aditis vrbis mænibus, redijt, Sueton. in Tyberio.

Quinto loco recenſentur Quæſtores de quibus in Titulo.

De Officio Quæſtoris.

Tit. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Quæſtorum Origo.* 2 *Quot ſint Quæſtorũ genera.*

ORIGO QVAESTORVM.

1 ORigo Quæſtoris creandi antiquiſſima apud Romanos fuit, ſuoque tempore memorat Vlpianus indifferenter tam patricios, quam plebeios creari ſolitos fuiſſe, eo quod ingreſſus eſſet, & quaſi primordium, gerendorum honorum, ſententiæque in Senatu dicendæ l. vnica in fine
1 hoc Tit. Quippe hic erat Ordo Romæ, vt quis primum fieret Quæſtor, deinde Aedilis, poſtmodum Prætor, ac denique Conſul, vt ita per honorum gradus nobiles viri ad conſulatum

ſulatum tenderent, nec tranſcendendo media, infimis ſumma continuarent iuxta l. vt gradatim, ff. de Muner. & honoribus quemadmodum M. Fuluius, & M. Curtius Tribuni Plebis contra T. Quintium Flaminium ex Quæſtura Conſulatum petentem, præclarè diſſeruerũt Liuius lib. 39. Neq; officit, quod ſupra diximus in Tit. de Origin. Iur. adoleſcentes Romæ prima comendatione Aedilitatem conſequi ſolitos fuiſſe, id quod & Cicer. tradit lib. 3. de legibus, dũ ſcribit, Aedilitatem primum eſſe ad dignitates aſcenſum, nam Reſp. verum eſſe Aedilitatem primum fuiſſe magiſtratum. Cæterum ante Aedilitatem Quæſtura geri ſolebat, quæ non erat ex ordine magiſtratuum: Nec Vlpianus noſter hoc loco ſcribit, Quæſturam primum fuiſſe magiſtratum, aut primum honorem, ſed introitum, ac veluti primordium gerendorum honorum; ſic Cicer. 8. in Verrem ſcribit, Quæſturam eſſe primum gradum honoris.

Quot ſint Quæſtorum genera.

Porrò, Quæſtorum varia fuerunt genera; Quidam enim publicæ pecuniæ curam gerebant; & in prouincias mitti ſolebant, vt vectigalia exigerent, indeque pecuniam exactam
2 fideliter aſſeruarent, & in neceſſarios vſus diſtribuerent d. l. vnica, §. ex quæſtoribus hoc Tit.

Alij candidati principis dicebantur, qui epiſtolis eius in ſenatu legendis vacabant d. l. vnica, §. ex quæſtoribus.

Fuerunt præterea, & Quæſtores parricidij, qui capitalibus rebus præerant de quibus diximus ſupra in Tit. de Orig. iur.

Sexto loco recenſentur Prætores, de quibus in Titulo.

De Officio Prætorum.
Tit. XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Quot olim fuerint Prætores.*
2 *Quæ fuerit Prætorum auctoritas.*
3 *Prætores an habuerint ius gladij.*
4 *Communis error facit ius.*

QVOT

QVOT OLIM FVERINT PRAETORES.

DVo olim Romæ Prætores fuerunt, qui in ciuilibus cauſis ius reddebant. Vnus qui ius dicebat inter Ciues, & Vrbanus appellabatur. Alter, qui inter peregrinos, vel inter ciues, & peregrinos, & Peregrinus dice-
2 batur l. 2. §. cumque Conſules ſupra de Origin. iur.

Quæ fuerit Prætorum auctoritas.

Penes Prætores fuit, omnis publici, ac priuati iuris poteſtas, ſic vt cauſas, aut ipſi cognoſcerent omnes, aut ijs cogno-
2 ſcendis iudices darent l. 1. C. eod. l. 1. infra de iuriſdic. omn. iudic. Hinc tria illa verba do, Dico, & Addico. Dabant ſiquidem iudices, & iudicia Dicebant ius nonnunquam per ſe iudicando; Addicebant denique inopes debitores qui ſoluendo non erant ex l. 12. tab. in temporariam ſeruitutem creditoribus, vnde Milphio ſeruus apud Plaut. in Penulo.

Neque id vnde efficiat, habet vbi in ius venerit
Addicet Prætor familiam totam tibi

Quantaque olim fuerit Prætorum iuriſdictio, ipſorum edicta demonſtrant, quę tam amplam materiam interpretandi, ac de iure reſpondendi iuriſconſultis præbuerunt; eaque quæ voluntariæ erant iuriſdictionis, ac mixti imperij etiam peræquè atque Conſules exequebantur l. 1. & 2. hoc Tit. l. 2. infra de iuriſdict. omn. iudic.

Dixi quod Prætores in ciuilibus cauſis ius reddebant, nam de criminibus eorum cognitio non erat; ſpecialiter tamē per ſenatuſconſultum Syllanianum vno caſu data fuit cognitio Prætori, nempè ſi Dominus à familia occiſus eſſet, l. 1. l. ſi ſeruus, & l. lege Cornelia, ff. ad S. C. Syllan. vt ob id miretur Fulgoſ. quomodo Prętor habuerit ius gladij, cùm Pręfectus Vrbis omnia ſibi crimina in Vrbe vendicaret l. 1. ſupra de
3 Offic. Præfect. Vrb. Sed mirandum non eſt, quia vt dixi, ſpecialiter hoc ei per S. C. Syllan. tributum fuit. Et ſic pro ratione temporum, Prætores etiam ius gladij habuiſſe cōſtat.

Famoſa,

Famoſa eſt ſub hoc Tit. l. Barbarius Philippus, qui cum eſſet ſeruus, præturam petijt, & obtinuit, eamque geſſit; & quia dubium eſſe poterat, an geſta per eum valerent; Reſpondit Vlpianus quod ſic. Ex quo colligunt DD. & præſertim

4 Accurſ. ꝙ communis error facit ius, quod etiam docet tex. in l. 3. in fine, ff. de ſuppelect. legat. & facit l. 1. C. de Teſtam.

Septimo recenſetur Præfectus Vigilum de quo in Titulo.

De Officio Præfecti Vigilum. Tit. XV.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Officium Præfecti Vigilum.*

2 *Verbalis caſtigatio.*

3 *Pudor & verecundia interdum eſt loco pœnæ.*

Quod ſit Officium Præfecti Vigilum.

OFficium Præfecti Vigilum erat, per totam noctem vigilare, ac curā adhibere, ne per negligentiam vt ſæpe euenire ſolet, incendij caſus oriatur l. 1. 2. & 3. Ob idq; de incēdiarijs funibus effractoribus, & ſimilibus cognoſcebat, poteratq; in eos animaduertere, vſq; ad fuſtem, & flagella. l. 4. Quod ſi grauius atq; atrocius delictū eſſet quam vt eiuſmodi pœna vindicari deberet, vt puta quia dolo malo incēdium commiſſum eſſet, ad Præfectum vrbis res remittenda erat. d. l. 4.

Quandoque tamen ſeuera interlocutione comminatus etiam fuſtium caſtigationem remittebat d. l. 3. §. cognoſcit. Id autem verbis tantum, aliquem corripi, non iniuſte conſtitutum eſſe videtur; nam ſatis ſuſtinuiſſe videtur pœnæ ex leui

1 offenſione, qui verbis duntaxat paulo aſperioribus emendatus ſit, homo præſertim ingenue, & liberaliter educatus, cui pro ſupplicio verecundia, & pudor eſſe debent. Nam & Pontifex Innocentius Agathenſem Epiſcopum, qui non nihil

Digitized by Google

nihil deliquerat propter pudorem laboreſque quos pertu-
2 lerat, quoſque ſupplicij loco ſibi eſſe iubet, abſolui imperat in c. cum dilecti extra de Accuſat. vnde & interpretes ibi notant, pudorem, & verecundiam pœnæ loco ſubrogari, culpamque ſi leuis ſit extinguere. Sic apud Plaut. in Mo-
3 ſtellaria, Teuropides ſenex à Callidate rogatus vt filio ſuo ignoſcat, qui patris ora verebatur, neque in conſpectũ ſuum præ pudore, & verecundia prodire audebat, quod ſubſtantiam, ſuam penè omnem prodegiſſet, ignoſcit illi, dicens, ſe ſatis à filio ſupplicij ſumpſiſſe, modo adoleſcentem pudeat tantum feciſſe ſumptum. Plaut.

Callid. *Omnium primum ſodalem me eſſe ſcis gnatò tuo.*
Is me adijt: nam illum prodire pudet in conſpectum tuum.
Propterea quod fecit, quæ te ſcire ſcit, nunc te obſecro.
Stultitiæ atq; adoleſcentiæ eius ignoſcas, tuus eſt.

Teurop. *Non potuit venire Orator magis ad me impetrabilis.*
Quam tu. neq; illi ſum iratus nec quicquam ſuccenſeo.
Si hoc pudet feciſſe, ſumptum ſupplicij habeò ſatis.

Et ſic ex ijs conſtat, Veteres leuia delicta admonitione tãtum, & verborũ caſtigatione corripuiſſe; ſcribit Liui. 2. bell. punic. lib. 7. cum Lucani & Volſcentes qui ad Annibalem defecerãt traditis Annibalis præſidijs quæ in vrbibus erant Romanis ſe dediſſent. Clementer a Q. Fuluio Conſule con verborum tantum caſtigatione ob errorem præteritum receptos fuiſſe; & apud Dionem Liuia eos qui propter adoleſcẽtiam, aut imprudentiam, aut ignorantiam, aliove caſu volentes deliquerint, aut inuiti arbitratur eſſe tantum admonendos propoſitisque minis continendos. Cuius oratione permotus Auguſtus plurimos verbis ſolum admonitos dimiſit. Dion. in Auguſt. & hæc quo ad magiſtratus qui in vrbe erant.

Quo autem ad magiſtratus qui extra Vrbem proficiſci debebant mittebantur tales magiſtratus, vel in prouincias Conſulares ſenatus populique nomine con generali ſummoque imperio, Vt Proconſules, & eorum Legati de quibus in Titulo.

Digitized by Google

De Officio Proconſulis, & Legati.

Tit. XVI.

1 *Quid ſit Proconſul.*
2 *Quod ſit eius officium.*
3 *Præaudita cuſtodiæ quæ.*
4 *Quid ſit Legatus & eius officium.*
5 *Quæ differentia ſit inter mandare iuriſdictionem, & dare iudicem.*
6 *An apud legatum Proconſulis manumitti poſſit.*

QVID SIT PROCONSVL.

PRoconſul eſt, qui con poteſtate Conſulis in Prouincias mittebatur, dictus quaſi Conſul procul miſſus & ideo ſtatim etiã atq; vrbe egreſſus erat vbiq; proconſularia inſi-
1 gna habebat. l. 1. ſic & Legatus Papæ vbique inſignibus vtitur non idem Archiepiſcopus Abb. in c. ex tuarum de Auctorit. & Vſu pal. iuriſdictionem etiam exercebat, voluntariam tamen non contentioſam l. 2. eam enim ſolum in Prouincia ſibi decreta exercere poterat. d. l. 1. & 2. in qua & ſummum imperium, atque maius omnibus poſt principem habebat. l. 7. & 8.

Quod ſit Proconſulis officium.

Proconſul poſtquam ingreſſus prouinciam erat, mandare iuriſdictionem legato ſuo debebat, neq; tamen hoc ante facere poterat, quàm fuerit prouinciã ingreſſus l. 4. §. poſt hæc.
2 Aliquando tamen, & ante poterat, veluti ſi neceſſariam moram in itinere patiatur, & maturiſſimè legatus in prouinciam peruenturus ſit, d. l. 4 §. aliquãdo. Adimere autem poſtquam mandauerit iuriſdictionem legato Proconſul licet. Summo iure poſſet, attamen hoc facere non debebat inconſulto principe l. 6. §. ſicut. Et Ratio eſt, quia, vt inquit. Cuiac. obſeruat. lib. 7. cap. 21. non optat ipſe ſibi legatum,
ſed

ſed ei datur quaſi adiutor ex ſenatuſconſulto. Solebat etiam Proconſul cuſtodiarum, hoc eſt reorum in vinculis detentorum, (ſic enim cuſtodias accipit Vlpianus pro reis delatis, qui in vinculis, & carceribus detinentur ob eam rem ſic appellati, quia cuſtodiuntur) cognitionem legato mandare, vt de crimine cognoſcens, ſi reos condemnatione dignos animaduerterit, non ipſe iudicet, ſed ad ſe procõſulem præauditas cuſtodias remittat, (præauditæ cuſtodiæ tum di-
3 cuntur cum rei tanta cura, diligentiaque auditi ſunt, & examinati, vt nihil præter ſententiam diffinitiuam ſuperſit) ſin verò innocentes eos, & ita abſolutionem merentes compererit, ipſe legatus liberet l.6. in principio; Quod mãdati genus extraordinarium dicitur cùm regulariter is condemnare poſſit, qui abſoluere l.3. ff. de Re iudic. ſed innocentiæ fauor id ſuadet ſuſtineri, neque nouum ea de cauſa videri debet, ſi is abſoluere poſſit, qui non condemnat, l.fin. §.adeo, C. vbi Senat. vel Clariſſ. Clem. 1. & ibi Gloſſ. extra de Hæretic. Circa aduocatos autem Proconſulem patientem eſſe oportere item petentibus aduocatos indulgere debere præſertim fœminis, pupillis, vel aliàs debilibus, & ijs, qui per potentiam aduerſarij ſe aduocatos non inuenire dixerint idem Vlpianus tradit in l.9.§.circa aduocatos.

Reuerſus poſtea Proconſul, eo ipſo quod portam Romæ ingrediebatur, imperium deponebat l.vlt. Sic & Epiſcopi, atque Archiepiſcopi, vrbem Romam ingreſſi omnem authoritatem deponunt, adeo vt, nec Archiepiſcopus inſignia Crucis ante ſe deferre, neque Epiſcopus ſacerdotia conferre poſſit, quod à Fulgoſio, Oroſcio, Coraſio, Rebuffo, & alijs adnotatum eſt in d.l.vlt.

Quid ſit Proconſulis Legatus, & eius Officium.

Legatus Proconſulis eſt, qui in minoribus & ciuilibus locum Proconſulis tenet, & eius vice fungitur, propriamque habet iuriſdictionem, & ſuo iure l 4. infra de Offic. eius, licet non ante quàm ei à Proconſule mandata ſit, l. 13. gladij tamen poteſtatem non habet d. l.6. niſi ea prærogatiua à Principe

Digitized by Google

ſingulari fauore extra ordinem donatus ſit, vt olim Lega-
tus Gordiani Proconſulis Africæ, quem gladij poteſtate
ſuccinctum fuiſſe Capitolinus in Gordiano ſcribit. ſed ſo-
lum accuſatione coram Proconſule propoſita, proceſſum
inſtruere poterat, condemnatoria ſententia ipſi Proconſu-
li reſeruata d.l.6 in principio, & l.vnica, C.de offic. Procon-
ſul. ſuſpecti autem tutoris, cognitionem, & ſi nonnihil cri-
minis admixtum habeat, pupillorum tamen vtilitas ſua-
det legato dari, l.1.§.damus, ff.de ſuſpect. Tutor. l. cognitio
infra de offic. eius. Item & iudicis dandi ius legatus habebat
l.12. Neque officit, quod a iudice Iudex datus, iudicis dan-
di non habeat poteſtatem l. à iudice, C. de iudic. nam lega-
tus iudex datus non eſt, ſed mandatam habet iuriſdictionē,
vnde aliud eſt mandare iuriſdictionem, aliud iudicem da-
5 re, nam iudex datus, cum ei vnius tantum cauſæ cognitio
committatur vt in l. ſæpè in fine con l. ſeq. infra de offic.
Præſid. iuriſdictionem non habet, ſed eſt veluti nudus qui-
dam miniſter eius, qui eum dedit, c.fin.§.fin extra de offic.
delegat. ideo mirum non eſt ſi iudicem dare non poſſit. At-
qui mandatam habet iuriſdictionem, quia iuriſdictione fun
gitur, licet alieno beneficio l.1.§.1.infra de offic. eius pote-
ſtatem dandi iudicem habet, l.cum prætor, §.is quoque, ff.
de iudic. Manumitti autē, vel adoptari apud legatum Pro-
conſulis non poterat, quia nec apud eum legis actio erat,
hoc eſt, liberum, & abſolutum vtriuſque iuriſdictionis &
contentioſæ, & voluntariæ exercitium l.2. in fine, & 3. &
plura quid ſit legis actionem habere dixi ſupra in Tit. de
Adoption. Sed obſtare videtur tex. in l. apud Proconſulem,
ff. de Manumiſſ. vindict. vbi & apud legatum proconſulis
6 manumittere poſſumus. Cuiac. obſeruat. lib.1. cap.1. vt tol-
lat contrarietatem, ſic emendat d.l. apud proconſulem, vt
negatiuè legatur, in hæc verba; (ſed & apud eius legatum
manumittere non poſſumus) quæ lectio negatiua abeſt à
pandectis florentinis. Ideo mihi magis placet lectio affir-
matiua, quæ eſt communis, & in pandectis florentinis ha-
betur; Et pro reſolutione contrarietatis conſidero, quod
Proconſules ſtatim vbi Romam egreſſi erāt, iuriſdictionem
habe-

Digitized by Google

habebant, voluntariam tantum non contentioſam, & ideo apud eos manumitti, & emancipari poterant, tam liberi, quam ſerui, vt inquit I.C. in d.l.2. apud legatum verò nemo manumittere poterat, quia talem iuriſdictionem non habebat, id eſt, voluntariam, Addit l.3. nec adoptare poſſe legatum, quia apud eum legis actio non eſt, quod intelligendum eſt ſecundum l.2. nempè ſtatim vbi Roma egreſſus eſt, proconſul, & per conſequens antequam in prouinciam ingreſſus ſit, & Ratio eſt, quia legati nullam habent iuriſdictionem, niſi à Proconſule eis mandata ſit, l.13. Proconſul autem non debet mandare iuriſdictionem legatis niſi poſtquam fuerit prouinciam ingreſſus, l.4.§.fin. ideo mirum nō eſt, ſi non poſſit manumittere niſi poſtquam fuerit proconſul prouinciam ingreſſus, & eis iuriſdictionem mandauerit; & ſic ceſſat contrarietas. Iuriſdictio, vt Accurſ. & alij hic in l.2. notant dicitur, quæ redditur in inuitos: voluntaria quæ in volentes.

Vel mittebantur magiſtratus in Cæſareas prouincias con Imperio non æquè libero, ſed ad principis diploma reſtricto, vt Præfectus Auguſtalis, de quo in Titulo.

De Officio Præfecti Auguſtalis.

Tit. XVII.

1 *Quid ſit Præfectus Auguſtalis & vnde dictus.*
2 *Aegypti regio fertiliſſima.*
3 *Nilus fluuiorum maximus.*

Quid ſit Præfectus Auguſtalis, & vnde dictus.

PRæfectus Auguſtalis eſt qui Aegypto præficiebatur ideo ſic dictus quia ab Auguſto primum authoritatē accepit. Marco Antonio enim, & Cleopatra Aegypti Regina deuictis Præfectum illuc mittendum eſſe Auguſtus cenſuit, &
1 Auguſtalem appellari voluit. l.1, & 2. C, de offic. Pręfect. Auguſt.

guſt.iſque non prius imperium deponebat, quam Alexandriam ingreſſus eſſet ſucceſſor eius, licet in prouinciam venerit. l. vnica. Quod in alijs præfectis & præſidibus ſecus eſt, quippe qui deponunt præfecturam & imperium, cum ſucceſſores prouinciam ingrediūtur. l. 4. §. antequā & l. 10. atq; adeo biduū ante §. fin. Auth. de Adminiſtrat. collat. 7.

Aegyptus regio eſt fertilliſſima in qua citiſſime fruges omnes matureſcunt, adeo vt tertio die illic legumina naſci Plinius ſcribat lib. 18. c. 7. & alibi omni menſe ſationem fieri libr. 17. cap. 18. vt non immeritò publicum orbis horreum veteres ægyptum dixerint, quę maxima terræ fœcunditas, mirabilis eſt, cum aquę celeſtes eam non adiuuent, ſed hoc Nilus efficit omnium fluuiorum maximus coloni vice fungens quemadmodum ſcribit Plin. libr. 18. cap. 18. & Pōp. Mela lib. 1. de ſitu orbis, Nam vt inquit Seneca, ſterilis, aut fertilis annus eſt, pro vt ille magnus influxit, aut parcior, vnde Tibulus ad Nilum, lib. 1.

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres:
Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Et Claudianus de Raptu Proſerpinæ.

Aegyptus ſine nube ferax, imbreſque ſerenos.
Sola tenet ſecura poli, non indiga venti
Gaudet aquis, quas ipſe vehit; Niloque redundat.

Item mittebantur ſimiliter in Cæſareas prouincias con imperio non æquè libero, etiam Præſides de quibus in Tit.

De Officio Præſidis. Tit. XVIII.

1 *Quid ſit Præſes.*
2 *An Præſes poſſit deportare.*
3 *Quod ſit Præſidis officium.*

QVID SIT PRAESES.

PRæſidis nomen generale eſt, & ad omnes in vniuerſum prouinciarum rectores porrigi poteſt vt dicitur in l. 1. Proconſulis vero appellatio ſpecialis eſt, nam Proconſul eligebatur ex Conſulibus, & conſulis loco in decretam ſibi pro-

1 prouinciam mittebatur vt ibi Conſulis vices ageret, nam quo anno quis conſul fuiſſet, ſequenti Proconſul remanebat, et prouinciam con imperio ſortiebatur; Propriè tamen Præſidis nomen eos ſignificat, qui poſt Principem (non quidē vt Principes, quemadmodum Proconſules) maius imperium in decreta ſibi prouincia habent. l. 4. Ius enim gladij habebant, & in metallum damnandi poteſtas eis per-
2 miſſa erat l. 6. §. qui vniuerſas, vt ob id mirum videri debeat, cur eis etiam in inſulam deportandi poteſtas non eſſet l. 2. §. 1. ff. de Pęnis, nam ſi ius gladij & ita poteſtatem reos morte multandi habebant multò magis &c. deportandi?. Reſpondeo Præſidem prouinciæ pronunciare quidem poſſe quem deportandum l. diui, ff. de pœnis cæterum aſſignare inſulam damnato, quæ non ſit in prouincia, cui præſidet, non poſſe ne ſuæ iuriſdictionis terminos excedere videatur l. fin. ſupra de offic. pręfect. Vrbi, ideo imperatori reſcribere debet, vt aſſignet inſulam l. inter §. 1. & 2. ff. de interdict. & relegat. quam ſi ſub ſe Præſes haberet poſſe eum quoque aſſignare crederem con Coraſio in d. §. qui vniuerſas per l. relegatorum ff. de interdict. & Relegat.

Quod ſit Præſidis officium.

De omnibus cauſis de quibus vel Pręfectus vrbi vel Præfectus prætorio itemque Conſules, & Prætores cæterique Romæ Magiſtratus cognoſcebant Præſidum prouinciarum in ſua prouincia cognitio erat l. 10. Omnia enim prouincialia deſideria, quæ Romę varios iudices habebant ad officium prę ſidum pertinebant, l. 11. Verum licet is qui prouinciæ præerat omnium Romæ magiſtratuum vice, & officio fungeretur non tamen ei ſpectandum erat, tam quid Romæ factum eſſet, quam quid fieri deberet l. 12. nec enim vt inquit Cicer. Philip. 9. maiorum exempla querenda ſunt, ſed conſilium eorum, a quo exempla nata ſunt inquirendum, & Iuſtinianus non à iudicibus exempla, ſed veritatem, legumque & iuſtitiæ veſtigia ſequenda eſſe decreuit, l. nemo, C. de ſentent.

Ad

Digitized by Google

Ad officium Præſidis etiam pertinebat, curare vt pacata atque quieta eſſet Prouincia, id quod facilè obtinere poterat ſi eam malis hominibus purgaret, l. 2. & 13. Item ſacrilegos latrones, Plagiarios, fures, atque eorum receptatores, ſine quibus latro diutius latere non poteſt inquirere, atque coercere debebat. d. l. 13. illicitas exactiones, venditiones metu extortas, vel ſine precij numeratione, lucra prohibita, item ne potentiores viri, humiliores, iniurijs afficerent, & ne tenuis vitæ homines, ſub prætextu aduentus officiorum, vel militum, limine vnico vel breui ſuppellectili ad aliorum vſus tranſlatis iniurijs vexarentur Præſes prouidere debebat l. 6. in principio & §. ne potentiores. Liminis verbo eo in loco, ſignificat. I.C. paruam quandam domunculam, aut locum, quem tenuiores homines inhabitāt. Iuuenalis Satyr. 3.

Limine ſummoueor, perierunt tempora longi
Seruitij nunquam minor eſt actura clientis.

& ſic vult Vlpianus propter aduētum magiſtratuum, & militum, inopes & tenuis vitæ viros, ſua non eſſe priuandos habitatione, translato ſuæ caſulæ vſu in aduenas. Obſeruare debebat etiam Præſes vt in adeundo ſe facilem præberet ita tamen vt in vlteriorem familiaritatem prouinciales non admitteret, nam ex cōuerſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur vt dicitur in l. 19. ſed & in cognoſcendo neque excandeſcere aduerſus eos, quos malos putabat neque precibus calamitoſorum illacrimari. d. l. 19. Fines etiam prouinciæ ſuæ excedere non debebat, niſi voti ſoluendi cauſa & dummodo non abnoctaret l. 15. ſic & Romæ Tribunis diem integrum abeſſe Roma prohibitum fuit, vt ſcribit. Gell. lib. 3. cap. 2.

Vel mittebantur etiam Magiſtratus in prouincias con iuriſdictione limitata, allegataq; aut ad certam cauſarum vniuerſitatem, vt Procurator Cæſaris de quo in Titulo.

De

Digitized by Google

De officio Procuratoris Cæſaris, vel rationalis.

Tit. XIX.

1 *Quid ſit Procurator Cæſaris.* 2 *Quod ſit eius officium.*

QVID SIT PROCVRATOR CAESARIS.

DVos Procuratores habebat Princeps; per quos negotia ſua adminiſtrabat, vnus Cæſaris dictus qui priuatum Cæſaris patrimonium moderabatur, Alter Fiſci qui publica principis iura tuebatur. Sed vterque poſtea alio no-
1 mine Rationalis appellatur, eo quod & hic, & ille rationes principis tractet, l. 2 C. de Modo mulctar. Procurator tamen fiſci Rationalis Reipublicæ, procurator verò Cæſaris, rationalis rei priuatæ dicitur, l.fin.C.de Aduocat fiſc. l. vniuerſi, C.de Fund. rei priuat.lib. 11. ex quo conſtat particulam illam, vel rationalis in Rubrica poſitam, accipiendam eſſe, pro, ideſt rationalis. Sed & interdum etiam procuratorem Cæſaris pro Fiſci procuratore accipi, & è contrariò docet Alciat.in l.procurator, C.de edend.

QVOD SIT EIVS OFFICIVM.

Princeps Romanus, à quo iura naſcuntur l. meminiſſe, C.vnde vi, legibus viuere volens, quamuis legibus ſolutus eſſet, l.digna vox, C.de legibus, ne quod alijs non licet, in ſua cau-
2 ſa ipſe ſibi ius diceret l. 1. C.Ne quis in ſua cauſa, Magiſtratum creauit, procuratorem Cæſaris dictum, qui in prouincia inter ſe & priuatos iudicaret l. 1. & per Tot. Tit. C. vbi cauſæ fiſcales. de crimine tamen non cognoſcebat, quia nec pœnæ conſtituendæ ius habebat, l.vlt. & ſic de pecuniarijs cauſis tantum, inter Principem, ſeu Fiſcum, & pri-

Digitized by Google

uatos Procurator Cæſaris cognoſcebat d.l.1.C. vbi cauſ. fiſcal. & præſertim vbi colonorum Principis negocium vertebatur, cognitione alijs iudicibus pœnitus interdicta l.dominicis Eod. Tit. prȩterquā in cauſa criminali l. cū aliquid Eod.Tit. Adminiſtrabat ēt Procurator Cȩſaris priuata ipſius Cȩſaris negocia, adeo quod quȩcūq; ab eo geſta erāt, perinde comprobabātur, ac ſi ab ipſomet Cæſare geſta eſſent, l.1.
Vel etiam mittebantur Magiſtratus con iuriſdictione limitata ad certum locum, vt Iuridicus Ciuitatis Alexandriæ de quo in Titulo.

De Officio Iuridici Alexandriæ.

Tit. XX.

1 *Quid ſit Iuridicus Alexandriæ.* 2 *Alexandriæ Vrbis dignitas.*

Quid ſit iuridicus Alexandriæ.

LIcet iuriſdictio totius Aegypti ad Præfectum Auguſtalem pertineret, & moris eſſet in prouinciarum adminiſtratione à Præſidibus prouinciarum iudices dari, Attamen peculiariter Alexandriæ potentiſſimæ Aegypti Ci-
1 uitati ab Auguſto iudex datus fuit, iuridicus appellatus quaſi iura dicens, & iuridicundo præpoſitus, Et quia apud eum legis actio erat, vt dicitur in l.1. hoc eſt, libera de negotijs quibuſcunque iuriſdicundi poteſtas, nam apud eum legis actio eſſe dicitur, qui actus & virtutes legis habet, vt imperare; vetare, permittere, & punire, l legis virtus, ff. de legibus. Ideo apud eundem quoque adoptare quis poterat d.l.1. eique etiam ſpecialiter conceſſa fuit tutoris datio l.2. & vlt. hoc Tit. & donationis inſinuatio, l. vnica, C. eod.
Alexandriæ vrbs Aegypti, fuit potentiſſima, & caput; ſic appellata quod conditorem habuerit magnum illum Alexan-
2 drum Macedonicum, cuius corpus ibi iacere Strabo ſcribit lib.17.

Digitized by Google

lib. 17. Tantaque olim fuit huius loci dignitas, & æſtimatio, vt medicis ad ſe, ſuamque commendandam artem, ſatis fuerit dicere, ſe Alexandriæ eruditos floruit, ſi quidem Alexandria omnium liberalium artium ſcholis.

Poſt expoſita Magiſtratuum genera, & officia, conſequens eſt etiã explicare officium eorum, quibus iuriſdictionẽ, & poteſtatem ſuam Magiſtratus demãdare ſolẽt, de quo in Titulo.

De Officio eius cui mandata eſt iuriſdictio.

Tit. XXI.

1 *Quid ſit mandare iuriſdictionem.*
2 *Qui poſſint mandare iuriſdictionem.*
3 *Qualiter iuriſdictio mandari poſſit.*
4 *Quis dicatur iudex datus, & in quo differat ab eo cui mandata eſt iuriſdictio.*
5 *Quæ mandari non poſſint.*
6 *Quæ ſit poteſtas illius cui iuriſdictio mandata eſt.*

Quid ſit mandare iuriſdictionem.

1 Mandare iuriſdictionem eſt alteri, vel magiſtratui, vel etiam priuato, vices ſuas in iure dicundo committere l. 1. 3. & vlt.

Qui poſſit iuriſdictionem mandare.

Mandare iuriſdictionem is demum poteſt, qui eam ſuo iure, hoc eſt, vel à Principe, vel à lege habet l. 5. infra de iuriſdict.
2 non qui alieno beneficio, ideſt, nec à lege, nec à principe, ſed à Magiſtratu accipit, nam is mandatam ſibi iuriſdictionem alteri demandare non poteſt, l. vlt. &c. Ratio eſt, quia qui mandatam ſuſcepit iuriſdictionem proprium nihil habet, ſed eius tantum qui mandauit iuriſdictione, & auctoritate fungitur l. 1. §. qui mandatam, etiam ſi prætor ſit, qui alienam exequitur iuriſdictionem l. 3.

Qualiter iuriſdictio mandari poſſit.

Mandari iuriſdictio poteſt, vel omnis in vniuerſum, vel ſpecies vna; vel inter certas perſonas generaliter, vel etiam ſpecia-
3 liter de vna re, l. ſolet, con l. ſeq. infra de iuriſdict.

Vniuerſa mandatur iuriſdictio, cùm omnis in vniuerſum cognitio, & iudicatio ciuilium cauſarum alteri committitur, l. 1. §. damus, ff. de Suſpect. Tutor. l. 1. §. fin. ff. Quis & à quo; ſicut facit Proconſul legato l. obſeruare, §. fin. ſupra de Offic. Proconſul, & legat.

Mandatur ſpecies una iuriſdictionis, ueluti certo negociorum generi aliquis præponitur, ut cum Pedaneis iudicibus, humiliorum, cauſarum, iudicatio committitur, l. fin. C. de Pedan. iudicibus.

Inter certas perſonas generaliter mandatur iuriſdictio, veluti, cùm committitur inter pupillos, & uiduas l. 1. C. de iuriſdict. l. unica, C. Quando imper. inter pupil. & uiduas.

Inter certas uerò perſonas ſpecialiter mandatur iuriſdictio, ueluti, cùm committitur inter Titium, & Meuium in certa, & particulari aliqua lite, l. Prætor infra de iuriſdict. Quãuis hoc caſu, magis propriè iudex dari dicatur, quàm mandari iuriſdictio l. ſæpè, §. fin. con l. ſeq. ſupra de offic. præſid. Vnde & iudex datus, quem interpretes noſtri delega-
4 tum vocant, Is eſt, cui vnius cauſæ tantum cognitio commiſſa eſt l. iubemus in fine, C. de epiſcop. & cleric. l. a iudice, C. de iudic. Quo fit, ut re diligentius conſiderata, aliud ſit mandare iuriſdictionem, aliud iudicem dare d. l. ſæpè con l. ſeq. Nam iudex datus, ſiue mauis delegatus, non habet iuriſdictionem l. ait prætor, ff. de iudic. Idcirco lata ſententia iudex eſſe deſinit l. iudex Eod. Tit. eamque non exequitur, ſed ille qui eum dedit l. à diuo pio Eod. Tit. At ille cui iuriſdictio mandata eſt, licet proprium nihil habeat, attamen mandantis iuriſdictione utitur l. 1. §. fin. ſuamque exequitur ſententiam, nam mandata ei iuriſdictione, cenſentur, & omnia ea mandata ſine quibus iuriſdictio explicari nequit l. ult. Item iudex datus alium iudicem dare non poteſt l. à iudice, C. de iudic. & Ratio eſt, quia ipſe iudiciario tantum

munere

Digitized by Google

munere fungitur, hoc eſt, ipſemet de cauſa iudicare debet. At ille cui mandata eſt iuriſdictio iudicem dare poteſt, l. cum prætor, ff. de iudic. quia mandata iuriſdictione totum iuris dicendi officium tranſit l. 1. §. damus, ff. de Suſpect. Tutor. & dando iudicem non abdicat à ſe iuriſdictionem, ſed notionẽ tantum transfert, l. ait prætor, ff. de Re iudicat.

QVAE MANDARI NON POSSINT.

Mandari non poſſunt, nec mandata iuriſdictione transferuntur ea, quæ ſpecialiter, hoc eſt, nominatim, & expreſsè, ſeu peculiariter, & ſingulari quadam prærogatiua, lege, ſena-
5 tuſconſulto, vel conſtitutione principis, tribuuntur, ſed ea tantum, quæ iure magiſtratus, hoc eſt, iure communi, & vſitato more maiorum competunt l. 1. & Ratio eſt, quia ſi priuatorum mandatorum fines diligenter ſunt cuſtodiendi, l. diligenter, ff. mandat. & qui mandatum ſuſcepit, alteri delegare vices ſuas nequit, l. 2. ff. ſi Menſor falſ. mod. dixer. multo magis præſcripto legis, vel principis ex certa cauſa aliquid ſpecialiter mandantis, parendum erit? Ideo merum imperium, quod à lege ſpecialiter datur, mandari non poteſt, nec mandata iuriſdictione transfertur, d. l. 1. Niſi in caſu abſentiæ eadem l. 1. & dummodo abſentia ſit neceſſaria ſecundum Gloſ. & DD. ibi; Abſentia autem dicitur neceſſaria, quando iuſſu principis abeſt, §. ad hæc prohibemus Auth. de Collat. nulla enim alia ex cauſa datur facultas magiſtratui migrandi extra prouinciam etiam ſi vellet adire principem, l. nullus, C. de Offic. Rect. prouinc. Imo ſi ſine iuſſu principis diſceſſerit efficitur reus criminis læſæ maieſtatis, §. ſi quis autem Auth. de Adminiſtrat. quod adeò verum eſt, vt licet abeſſe poſſit magiſtratus voti ſoluendi cauſa, tamen ei pernoctare non liceat, l. 15. ſupra de offic. præſid. Neque placet quod Bart. Dec. & alij tradunt in d. l. 1. & ad alia impedimenta extendunt, ſcilicet, quod, & ſi ſit occupatus magiſtratus propter multitudinem cauſarum, vel propter infirmitatem, adhuc etiam cauſas meri imperij mandare poſſit, eo quia eadem militet ratio in infirmitate,

quæ

Digitized by Google

quæ & in abſentia; quia ſicut abſentia impedit iudicem, quod non poſſit tractare cauſas meri imperij, ita & infirmitas; nam Reſp. ſolam abſentiam de per ſe non operari effectum delegationis, ſed requiri etiam, quod abſit iuſſu principis, quo caſu videtur facta delegatio con auctoritate, & conſenſu principis, & propterea mirum non eſt, ſi mandare, ac delegare poſſit in hoc caſu, quod non eſt in infirmitate, & alijs impedimentis.

Sic, & decretum interponendum in alienatione rerum minoris mandari non poteſt l. 2. quia Prætori ſpecialiter fuit cõceſſum l. 1. ff. de Reb. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt, l. 1. C. de Præd. minor. Similiter, & tranſactio alimentorum, quia Prętori ſpecialiter fuit conceſſa, mandari non poteſt l. cum hi in principio, & in §. ſed nec mandare, ff. de tranſact. Eodem modo, & Tutoris datio, quia his tantum competit, quibus nominatim lege datum eſt l. muto, §. tutoris datio, ff. de Tutel. alteri mandari non poteſt l. nec mandante, ff. de Tutor. & Curat. dat. ab his qui ius dand. hab. Neque obſtat l. 4. h. t. vbi cognitio de ſuſpectis tutoribus mandari poteſt, & tamen Prætori in Vrbe, & Pręſidi in prouincia nominatim data fuit l. 1. §. damus, ff. de Suſpect. Tut. l. 1. §. ſuſpecti, ff. ad S.C. Turpil. & §. 1. Inſtit. de ſuſpect. Tutor. quoniam Reſp. cognitionem de ſuſpecto tutore ſine accuſatione, ſine qua tutor vt ſuſpectus plerunque reijcitur ob ſegnitiem vt in l. 3. §. præterea, & §. fin ff. de Suſpect. Tutor. poſſe quidem propter vtilitatem pupillorum mandari vt in d. l. 4. ſecus ſi ob dolum ſolenni accuſatione ſuſpectus poſtuletur, nam tunc, non apud alios, quam apud Prętores, vel Præſides fieri poterit vt in d. l. 1. §. ſuſpecti, ff. ad S.C. Turpil.

Mandata igitur iuriſdictione ille, cui mandata eſt, proprium nihil habet, hoc eſt eorum nihil habet, quæ ſpecialiter mandanti; lege aliqua ſunt conceſſa, ſed eius qui mandauit tan-
6 tum iuriſdictione fungitur, hoc eſt ea auctoritate, quæ iure communi ſolet magiſtratibus competere d. l. 1. §. qui mandatam; nimirum de ciuilibus cauſis cognoſcendi nec non ad eius cognitionis, iudicijque effectum, coercendi, alias ſine modica coercione iuriſdictio explicari non poſſet. d. l. vl.

pro-

Digitized by Google

propterea conceſſa iuriſdictione, & omnia etiam ea conceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt l. 2. infra de Iuriſdict. Illud tamen obſeruandum eſt quod ſi is qui mādauit iuriſdictionem deceſſerit, antequam res, ab eo, cui mandata eſt iuriſdictio, geri cœperit ſoluitur mandatum l. 6 infra de iuriſdict. ſed ſi res geri cœperit & coram eo cœptum ſit iudicium, ibi etiam finem accipiet l. vbi cœptum ff. de iudic. nam & Paulus ſcribit ſolere iudices à Præſide datos in tempus etiam ſucceſſorum eius durare, cogique pronunciare l. venditor §. fin. ff. de iudic. Porrò, morte eius quoque cui mandatum eſt, finiri iuriſdictionem conſtat l. inter cauſas §. 1. ff mand. niſi ſub nomine dignitatis reſcriptum eſſet. §. & hæ verò iubemus Auth. vt nulli iu dic. collat. 9. cap. quoniam abbas de offic. delegat. dignitas namque ſicut eccleſia nunquam moritur c. liberti eccleſiæ 12. q. 2. l. annua §. Attia ff. de Annuis legat. c. ſi gratiosè de Reſcript. in 6.

Et hęc de Magiſtratibus verum quia magiſtratibus aſſiſtebant. etiam Aſſeſſores, ideo, & de his dicitur in Titulo.

De Officio Aſſeſſorum.

Tit. XXII.

1 *Quid ſit Aſſeſſor.* 2 *Quod ſit eius officium.*

QVID SIT ASSESSOR.

Aſſeſſores dicuntur Iuriſperiti, quos Præſides in prouincias ſecum ducebant, vt eorum conſilio ius dicerēt. Nec enim Aſſeſſoris officium eſt iudicare, ſed conſulere, non pronunciare, ſed aſſiſtere l. 2. C. de Aſſeſſor, Ideo & Cōſiliarij dicuntur in l. 5. h. t. à magiſtratuque ipſo eligebantur, vt tradit Cicero pro Quintio, eisque nonnunquam à

Præ-

Præſidibus proficiſcentibus cauſas decidendas delegari cõſueuiſſe,& tunc Pedaneos proprie dictos eſſe Alciat. lib.1. Parerg.cap.41.annotauit. Peritos ac prudentes etiam ,eos eſſe oportere conſtat,aliàs ſi imperitia vel imprudentia eorum ius aliter magiſtratus dixerit,quã oportuerit,ipſi tenẽtur l.2.infra. Quod quiſque iur. Dicere tamen ſolebat Alexander ſeuerus imperator, qui primus ſalaria Aſſeſſoribus conſtituit,eos eſſe promouendos,qui per ſe Rem P. gerere poſſent,non per Aſſeſſores, vt Lampridius in Alexandro ſcribit.

Quod ſit eius officium.

Horum officium deſcribitur in l.1 & qui poſſint aſſidere traditur in l.2.3 & vlt. Mortuoque magiſtratu intra tempus, Aſſeſſorib. ſuis ſalariũ reſidui tẽporis deberi, deciditur in l. 4.quod ſalarium ex pecunia publica ſoluebatur, vt colligitur ex l. vlt. & probatur in §. feſtinabis Auth. de mandat. princip. Fallit tamen ſi eodem tempore Aſſeſſores alijs Præſidibus aſſediſſent, nam tunc eis non debetur d. l.4.ſicut nec etiam debetur, ſi ſucceſſorem ante tempus magiſtratus acceperit.d.l. 4.& Ratio eſt, quia cum magiſtratus ante finitam adminiſtrationem mouetur veriſimiliter eius culpa contingit,ideo nec Aſſeſſoribus ſalarium reſidui tem poris debetur & hęc de Magiſtratibus eorumque officijs.

Finis Libri Primi.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS Pandectarum.

De Iuriſdictione. Tit. I.

1 *Quid ſit Iuriſdictio.*
2 *Imperij vox quid ſignificet.*
3 *Quid ſit ſummum Imperiū.*
4 *Quid ſit merum Imperium.*
5 *Gladij appellatione quid veniat.*
6 *Quot ſint gradus meri imperij.*
7 *Exempla primi gradus meri imperij, quod magnum vocamus.*
8 *Exempla ſecundi gradus meri imperij quod mediocre appellamus.*
9 *Quæ differentia ſit inter Deportationem & Relegationē.*
10 *Exempla tertij gradus meri imperij quod paruum dicimus.*
11 *Pœnę honoraria quę dicātur.*
12 *Quid ſit mixtum imperium.*
13 *Quæ differentia ſit quod mixto imperio inſit iuriſdictio, vel mixtum imperium cohæreat iuriſdictioni.*
14 *In quo conſiſtat modica coercio.*
15 *Quid ſit mulcta, & vnde dicta.*
16 *Differentia inter mulctam et pœnam.*
17 *Carcer de iure ciuili duplex eſt.*
18 *Vtilitas diſtinctionis mixti imperij cui iuriſdictio ineſt ab eo quod cohæret iuriſdiction.*
19 *Quid ſit ſimplex iuriſdictio.*

DEcurſis breuitęr generibus magiſtratuum,& officijs eorum, rectè ponitur Tit. de iuriſdictione, in qua exercenda potiſſimum verſatur magiſtratuum auctoritas, inſcribiturq; hic Tit. in Pandectis Florentinis ſimpliciter de iuriſdictione. At in vulgata editione additur, omnium iudicum. Quidam florentinam. Alij vulgatam editionem magis probant. Vtcumque ſit, ſatis conſtat tractari in hoc Tit. de iuriſdictione, tam in Ciuili, quam in

Criminali, vt in l. Imperium, tam maiorum, quam minorum iudicum, vt in l. ſi idem, & in l. magiſtratus.

QVID SIT IVRISDICTIO.

Iuriſdictio eſt nomen generis & ſpeciei, ſicut adoptio l. 1. ſupra de Adopt. & Agnatio, l. pen. ff. vnde legit.

Generaliter accipitur pro omni cognitione, tam in Ciuili, quàm in Criminali cauſa cap. 1. §. 1. de Pace Conſtantiæ in
1 Vſibus feudorum; quo ſenſu non diſtinguitur ab Imperio, & Definitur vt ſit publica iuris dicendi tam in ciuilibus, quam in criminalibus cauſis poteſtas.

Specialiter accipitur pro cognitione in cauſa ciuili, & definitur, vt ſit publica in ciuilib. cauſis iuris dicẽdi poteſtas, l. 1. §. damus, ff. de ſuſpect. Tutor. & ſecundum hãc ſignificationẽ iuriſdictio diſtinguitur ab Imperio, nam Imperium in ſpecie accipitur, pro coercione, & ideo illi magiſtratus dicuntur eſſe con Imperio, qui poſſunt coercere l. 2. infra de in ius vocand. l. nec magiſtratibus, ff. de iniurijs con ſimilibus. At quia coercio duplex eſt, alia in Criminali, alia in Ciuili cauſa, inde factum eſt, vt Imperium ſit duplex, Aliud Merum, Aliud Mixtum, ſeu non merum l. vl. ſupra de offic. eius l. Imperium hoc Tit.

QVID SIT IMPERIVM.

Imperij vox ſine vlla adiectione, cum de Populo, aut Principe loquimur, vniuerſam, ac ſupremam eius poteſtatem, & ditionem ſignificat l. 1. ſupra de Conſtitut. Princip. Quæ &
2 merum Imperium, & mixtum, & iuriſdictionem, & alia multa etiam extra iuriſdictionem continet; pro vt eſt condere leges d. l. 1. (errant enim qui condendæ legis poteſtatem ad merum imperium pertinere tradunt cum nec in deliquentes animaduertatur, nec ius in foro dicatur) officia creare l. Barbarius in fine ſupra de offic. Prætoris, indulgentiam, & gratiam delinquentibus concedere l. 1. C. de ſent. paſſ. & infra ad S.C. Turpil. per totum; veniam ætatis Tot. Tit. de his qui veniam ætat. impetrauer. ſententias etiam in criminalibus mutare, l. Diui, ff. de Pœn. & alia multa facere, quæ nec in iuriſdictione, nec in Imperio verſantur, &

ſoli

Digitized by Google

ſoli principi competunt, & ad ſolum eius ſupremum. Imperium pertinent.

Quid ſit ſummum Imperium.

Imperium diuidere poſſumus, vt Aliud ſit Summum, quod ſcilicet, apud ſolum principem reſidet, Aliud Merum,
3 & Aliud Mixtum; Atque hinc ceſſabit antiquorum altercatio, An apud ſolum principem ſit merum imperium, de qua olim magna contentio fuit apud duo iuris noſtri lumina Lotharium, ſcilicet, & Azzonem, facta etiam equi apud ſequeſtrum ſponſione. Hic enim apud omnes maiores magiſtratus eſſe contendebat. Ille verò apud ſolum principem, pro quo Henricus Imperator, qui tum fortè Bononiam venerat ſuæ cauſæ nimium fauens pronunciauit. Nam debemus intelligere apud ſolum Principem, ſummum Imperium eſſe, & regimen Rei P. & non ad alium, ſed merum Imperium eſſe apud illos quibus Princeps conceſſit, veluti, olim apud Conſules, Dictatores, Quæſtores parricidij, Præfectos prætorio, Prætores, Præfectos Vrbi, Procònſules, Præſides, & alios, de quibus in l. 2. §. exactis ſuprà de origin. iur. in lege prima, ff. ad S.C. Syllan. in lege prima, §. in vrbem ſupra de offic. præfect. Vrbi in lege ſeptima, in fine, ſupra de offic. proconſul. in l. illicitas, §. qui vniuerſas ſupra de offic. præſidis Idem, & in mixto dicendum eſt, vt apud illòs conſiſtat, quibus a principe datum eſt; Et ſic non eſt ſupremum imperium con mero, & mixto confundendum, cum iſta a ſupremo proficiſcantur, licet DD. hactenus confuderint, & ſimul miſcuerint, ex quo infinitæ prouenerunt interpretum confuſiones, quæ facilè diluentur per prædicta.

Vidimus de ſummo, ac ſupremo imperio, quod apud ſolum principem reſidet: videamus nunc de Mero quod etiam maioribus magiſtratibus competit, & ipſum definiamus ſimul con Vlpiano in l. imperium hoc pacto.

Digitized by Google

Quid ſit merum imperium.

Imperium Merum eſt habere gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines quod etiam poteſtas appellatur. Interpretes ſecuti Bartolum alio modo defi-niunt, dicentes Vlpianum hic non definire merum impe-
4 rium, ſed exempla tantum ponere. ego verò Deffinitionem, ac Deſcriptionem appoſuiſſe Vlpianum cenſeo in hoc ſecutus Angel. Fulgoſ. Alciat. Loriot. Rebuff. Bolognet. & alios.

Meri propria ſignificatio eſt, vt ea tantum notet quæ ſola ſunt ſimplicia, & pura neque alteri rei aliquo modo permixta ſic ſtipulatio dicitur merum factum continere cum factum tantum, non dationem continet l. qui res §. qui Romæ ff. de ſolutionibus mera pœna, quæ nullam rei, aut eius quod intereſt perſecutionem habet l. vnica in fine infra ſi quis ius dicenti non obtemperauer. merum aurum non commixtum con alio metallo, ſed per ſe purum l. idem Pomponius infra de Rei vendicat. Sic igitur, & merum imperium a iure conſultis dicitur quaſi purum, ſolum nec vllatenus iuriſdictioni, ideſt, ciuilium cauſarum cognitioni coniunctum non probo ſententiam Bartoli, vt merum dicatur liberum quo ad principem, & quo ad alios non.

Gladij autem appellationem, reiecta accurſiana expoſitione intelligo de ciuili delictorum punitiuo prout Angel. &
5 omnes moderni faciunt alias enim ſi intelligeretur de materiali tantum prout Accurſ. Bart. & plures alijs ex antiquioribus crediderunt ſequeretur quod non omne vltimum ſupplicium pertineret ad merum imperium ſed illud tantum quo vita adimitur gladio materiali quod non eſt dicendum; nam Lex Pompeia de parricidio pertinet ad merum imperium & tamen non punit parricidam gladio, ſed alia pœna §. alia Inſt. de Public. iudic. Item mors naturalis datur per ſuſpenſionem concremationem damnationem ad beſtias, & præcipitationem, & tamen omnes il-

læ pœnæ

læ pœnæ continentur ſub hoc nomine gladij vt omnes fatentur. Neque obſtat l. aut damnum §. 1. ff. de Pœnis, ibi animaduerti oportet gladio non ſecuri, non telo non laqueo, quia Reſp. quod ideo ibi intelligitur de materiali, quoniam Iudex in ſententia ſua vſus fuerat eo verbo, gladij, quæ ſententia ſemel dicta neque augeri, neque minui poteſt, ſed quoquomodo dicta eſt ita mitti debet executioni. ſic apud Spartianum legimus, quod Antoninus Caracalla peſſimus Imperator qui iuſſerat. Papinianum gladio feriri eo quia fratricidium excuſare noluerat, erga percuſſorem hæc verba protulit. gladio oportuit te exequi iuſſum meum, non ſecuri. Et ſic gladij appellatio intelligitur nedum de materiali, ſed etiam de ciuili, & ita gladij appellatione merum imperium, ſeu ius vitæ, & necis ſignificatur. Ideo autem de gladio mentionē facit I.C. quia meri imperij nota, & ſignum eſt gladius quem ſoli Imperatores geſtare ſolebant, item Præfecti prætorio quibus illum Imperatores cōcedere ſolebant, Sic Traianus Scuram Liciniū ad præfecturam promoturus gladium ei porrigens, in hęc verba locutus fuit, Accipe hunc gladium, vt eo ſi bene Imperauero, pro me, ſin male, contra me vtaris. Atque inde eſt, quod magiſtratus, qui habent merum imperium deferrunt gladium ante ſe cap. non ſolum cap. ſunt quædam 23. quæſtio. 5. ad denotandum eos habere vitæ, & necis poteſtatem.

Quot ſint Gradus meri imperij.

Meri imperij DD. plures gradus faciunt. Bart. ſex ponit, dicens, Aliud eſſe merum imperium maximum. Aliud Maius Aliud Magnum. Quoddam paruum; Quodam minus, & quodam Minimum.

In Primo gradu meri imperij maximi ponit Bartol. poteſtatem condendi leges.

In ſecundo gradu maioris imperij ponit vltimum ſupplicium membri abſciſſionem, damnationem in perpetuos car-

ceres, & in metallum coercionem.

In tertio gradu magni imperij ponit Deportationem.

In quarto gradu parui imperij ponit Relegationem, & Torturam.

In quinto gradu minoris imperij ponit modicam coercionem corporis.

In ſexto, & vltimo gradu minimi imperij ponit leuem mulctam.

Ego autem merum, imperium diuidam in Magnum, Mediocre, & Paruum: exemplo Pauli I.C. qui lib. 5. recept. ſentēt. Tit. 17. tria ſuppliciorum genera facit ſumma, Mediocria & Minima, ideo & ego, tres gradus meri imperij conſtituam.

Primi gradus meri imperij quod magnum vocamus multa, & uaria exempla adduci, ac in medium afferri poſſunt.

Primum exemplum erit, ultimum ſupplicium, quod exercetur in quatuor elementis, ſcilicet in terra cum quis decapitatur, qua pęna nobiles damnari ſolent l. moris eſt §. ſed. n. ff. de Pœn. in aere, cum furca ſuſpenditur quod pœnæ ge-
7 nus exercetur in latrones l. capitalium §. famoſos. ff. de Pęn. & in ſeditionis auctores l. ſi quis aliquid §. auctores ff. Eod. in igne cum quis comburitur quod genus pœnæ exerceri ſolet in incendiarios d. l. capitalium §. incendiarii, in ſortilegos, ſiue aruſpices, l. 3. C. de Maleſic. & Mathemat. in Monetarios l. 2. c. de Falſa monet. item, & in hæreticos c. ſuper eo de hæretic. lib. 6. & Ioan. cap. 15. ac demum in aqua cum quis in mare, vel flumen proijcitur, qua pœna parricidæ puniuntur §. alia Inſtit. de Publ. Iudic.

Secundum exemplum erit membri abſciſſio, quæ pœna, & ipſa capitalis eſt, & morti æquiparatur §. ad hæc prohibemus Auct. de collat. nam pęna afflictiua corporis in aliquo membro, totum corpus affligere dicitur argumento l. vulgaris ff. de Furt. quia vt dicunt Philoſophi, ac etiam Theologi, anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, & ideo ſi infans dum naſcitur è ventre matris eduxerit, aut pedem, aut manum tantum in illis poteſt baptizari, & baptizatus recipit

pit ſacramentum,& ſi moriatur debet in cæmeterio ſepeliri Ricard.in 4.ſent.Diſtinct.3.Arct.4.quæſt.3.Bart.& Iaſ. in l.3.C.de Poſthum.hæredib.inſtit.

Hęc tamen pœna abſciſſionis membri de iure Digeſtorum cognita non fuit. Vnum caſum inuenio de iure Codicis in quo pedis amputatio imponitur contra ſeruum fugitiuum ad hoſtes tranſeuntem l.ſi fugitiui C.de ſeru.fugit. Alter caſus eſt de iure Authenticorum contra executorem tributorum infideliter ſcribentem,qui amiſſione manus punitur §. coges autem Auth.de Mandat.princip.Tertius eſt de iure feudorum contra vulnerantem aliquem ſub fide pacis cap. 1.§.ſi quis alium De Pace tenēda in vſibus feudorum.Quartus eſt de eodem iure feudorum contra notarium conficientem inſtrumentum alienationis feudi cap. Imperialem de Prohibit.feud. alienat. per Federicum Quintus eſt de conſuetudine contra conficientem inſtrumentum falſum Gandin.de malefic.Tit.de Pœnis num.52.& 54.

Illud omittendum non eſt,quod abſciſſio vtriuſque manus,& vtriuſque pedis prohibetur à Iuſtiniano in §.fin.Authen.Vt nulli iudic.

Tertium exemplum morti proximum erit metalli coercio l. capitalium, & l.quidam ſunt, ff. de Pœn. Priſcis enim Romanorum religio fuit,hominem quemlibet malum, & Rei P.perniciosum necare,vnde M.Cicero ſcribit,morte damnare non Romanorum,ſed externorum eſſe in orat.pro Q. Ligario, omniumque crudeliſſimus Sylla habitus fuit, qui primus Romæ mulctare morte reos introduxit: ideo alia ſupplicia Romani excogitarunt, vt in metallum coercionem,quod pœnæ genus Tarquinius ſuperbus primus excogitaſſe fertur, vt tradit Eutropius lib. 1. cap. 10. aquæ & ignis interdictionem, Deportationem, Relegationem, & ſimilia.

Damnati in metallum grauibus vinculis preſſi metallicum opus faciebant, nam intra terræ venas metallum perquirebant,arenas lauabant, quod ſubſidebat, deinde coquebant in fornacibus,diu,noctuque in labore perſeuerebant,nullaque ab opere dabatur eis requies, aut laboris intermiſſio.

Quia

Quin plerunque verberibus vſque adeo augebatur eorum calamitas, vt ob miſeriæ calamitatem mors vita obtabilior illis eſſet. Eademque pœna erat damnatorum in opus metalli, niſi quod leuioribus vinculis premebantur l. aut damnum §. inter eos, ff. de Pœnis.

Quartum exemplum primi gradus meri imperij erit, damnatio ad perpetuos carceres morti ſimillima, quam pœnam habent iura canonica cap. nouimus de verb. ſignificat. cap. quamuis de Pœnis in 6.

Et hæc quatuor exempla, ſcilicet, vltimum ſupplicium Metalli coercio, membri abſciſſio, & ad perpetuos carceres dānatio ponuntur a Bart. in ſecundo gradu meri imperij. Nos tamen rectius in primo ponimus, quoniam condendæ legis poteſtatem, quam Bart. in primo gradu meri imperij enumerat, iam ſupra diximus, non meri, ſed ſupremi imperij eſſe, quod ad ſolum principem ſpectat.

Addere poſſumus in hoc eodem primo gradu meri imperij, etiam damnationem ad perpetuos triremes, quę & damnationi in metallum, & ad perpetuos carceres, æquiparari rectè poteſt, cum damnentur ad vincula perpetua, & ad opus publicum l. aut damnum, §. inter, § quiſquis, §. in miniſterium, & §. fin. ff. de Pœnis. Et ſic conſequenter ſerui pœnæ efficiantur; Neque obſtat, quod hodie iure nouo nemo liber homo per cōdemnationem in perpetuum ad aliquod opus libertatem amittat, vt in Auth. ſed hodie, C. de donat. inter vir. & vxor. quia hoc verum eſt quantum ſit ad diſpoſitionem iuris, ſecus quo ad veram corporis libertatem.

Et ſic omnes ſupradictæ pœnæ, quæ vel vitam, vel libertatem adimunt, rectè a nobis in primo gradu meri imperij poſitæ ſunt, cùm, ſi non mortis, morti ſaltem proximæ ſint.

Secundi gradus meri imperij, quod mediocre appellamus multa etiam, ac plura exempla ſunt, quæ reſpiciunt pęnas acrio
8 ris caſtigationis, ſed quæ tamen, nec vitam, nec libertatem adimunt.

Primum exemplum erit Deportatio, quæ licet eſſet ſpecies exilij atrociſſima, attamen libertatem non adimebat, & ideo media capitis diminutio dicitur in §. minor ſiue media

Inſtit.

Inſtit.de capit.diminut.Neque obſtat tex. in l. cognitionē, ff.de Extraordin.cognit. vbi I.C. ſcribit, libertatem adimi, veluti cum aqua & igne interdicitur, quod in perſona deportatorum euenit; quoniam Reſp. quod I.C.in d.l. loquitur de libertate, quæ eſt iuris Quiritum, ſed non adimitur ea,quæ eſt iuriſgentium, ita conciliat Duaren.lib.1.diſput. cap.9.& Cuiac.in d.§.minor.

Deportare eſt hominem de Ciuitate in certum aliquem locū ablegare; vt reliquo orbe diſcluſus ibi, delictorum ſuorum pœnam luat ſucceſſitque hæc deportatio in locum interdictionis aquæ & ignis, vt habetur in l.3. ff. ad l.Iul. peculat. olim enim iure Quiritum Ciui Romano vita adimi nō poterat,quod Cæſar apud Saluſtium in coniuratione Catilinæ elegantiſſimè perſequitur;& nos ſuprà diximus. Eodem iure nemo inuitus, Ciuitatem, aut libertatem amittebat, vt Cicero tradit pro Balbo, pro Cecina, &. pro Domo ſua; Ideo ne delicta impunita remanerent, rationem Romani excogitarunt,qua noxios Ciues, ſaluis maiorum ſuorum legibus, Ciuitate pellerent, itaque aquam & ignem eis interdixerunt, vt his ſubſidijs, quibus humana vita continetur deſtituti in alias terras migrare, in aliamque Ciuitatem ſe conferre cogerentur, inquam poſtea recepti Romanam Ciuitatem amittebant, quia nemo duarum Ciuitatum ciuis eſſe poterat, vt Cicero in Orat.pro Balbo ſcribit. In taliq; que interdictione nominatim comprehendebatur, ne liceret eos,quibus aqua,& igni interdictum erat tecto excipere, legeque Iulia de vi publica & priuata tenebantur, qui eos recepiſſent,celaſſent, vel tenuiſſent. Iuuenal.Satyr.3.

Nemo cibo, nemo hoſpitio, tectoque iuuabit.

Et Ouid.Metamorph.lib.7.

Dij te ſubmoueant ò noſtri infamia ſecli,
Orbe ſuo, tellusque tibi, pontuſque negetur.

Secundum exemplum eſt, Relegatio ad tempus, vel in perpetuum,vel etiam in inſulam,quæ mitior eſt deportatione, nam Relegati omnia ſua iura, & bona retinent, quod non eſt in Deportatis l.relegati, & l.relegatorum, §.hæc eſt differentia,ff.de interdict,& Relegat.

Digitized by Google

Inter Relegationem & Deportationem, Budęus in l. capitalium, §. in exulibus, ff. de Pœnis hoc intereſſe ſcribit, quod ſcilicet, Relegatio ſit cum quis exire fines patriæ iubetur.
9 Deportatio verò cum præter exterminationem certus etiã locus, ac limitatum ſpacium circumſcribitur d. §. in exulibus. Quæ diſcriminis ratio non ſatis probabilis videtur, cũ etiam Relegatio interdum in certam inſulam fieri, & certus locus Relegato circumſcribi ſoleat vt patet in d. l. relegati & in d. l. relegatorum, & in d. §. in exulibus. Ideo ego exiſtimo ſimul con Donello in l. 1. C. de Hęred. inſtit. num. 10. Relegatos à Deportatis diſtinguere verba ſententiæ, ſic, vt Relegati intelligantur in quibus eijciendis Præſes relegandi verbo vſus ſit, Deportati, in quibus vſus ſit verbo deportandi, id quod & Bolognetus in l. imperium nu. 77. hoc Tit. voluiſſe videtur. Cuius rei exemplum etiam nobis præſtat Ouidius, qui ab Auguſto in Pontum relegatus, neque tamen exul, aut deportatus fuit. Sic enim ipſæ ſuæ infelicitatis teſtimonium perhibens lib. 5. Triſtit. Eleg. 3. ad Auguſtum Cæſarem loquitur.

Nec mihi ius ciuis, nec mihi nomen abeſt
Nec mea conceſſa eſt alijs fortuna, nec exul
Edicti verbis nominor ipſe tuis.
Arua Relegatum iuſſiſti viſere ponti.

Idem lib. 2. Triſtit. Eleg. vnica.

Addo quod edictum quamuis immite, minaxque
Attamen in pœna nomine leue fuit.
Quippe Relegatus, non exul, dicor in illo.

Et lib. 5. Triſtit. Eleg. 12.

Nec vitam, nec opes, nec ius mihi ciuis ademit:
Nil niſi me patrijs iuſſit abeſſe focis.
Ipſe Relegati, non exulis vtitur in me
Nomine.

Tertium exemplum eſt, Tortura, ſi ad pœnam fiat, Dec. hic in l. imperium num. 49. Socin. num. 24. Oroſc. num. 34. Bolognet. num. 79. & alij. Si verò fiat ad veritatem inueſtigandam, modò meri, modò mixti imperij dicetur, prout cauſa ſit, ob quam quæſtio fiat Bolognet, dicto loco.

Hæc

Digitized by Google

Hęc tria exempla ponuntur à Bart ſub diuerſis gradibus, nam deportationem ponit in tertio relegationem verò & torturam in quarto. Nos tamen omnia ſub eodem gradu ponimus, cùm omnes ſint pœnæ acrioris caſtigationis, & per quas corpus acriter afficitur l. ſi quid erit ſupra de offic. proconſul. illud animaduertendum eſt, quod dum Iuſt. in §. fin. Auth. vt nulli iudic. dixit membrorum diſſolutionem eſſe grauiorem vtriuſque manus abſciſſione, non loquitur de Tortura, ſed de diſſolutione, & fractione membrorum perpetua, & quæ reducibilis non ſit, Rotæ enim inſerebantur noxij, & membratim rotarum conuulſi radijs, lentitudine mortis maximo cruciatu perimebantur Vergilius Aeneid. 6.

Saxum ingens voluunt alij, radijſque rotarum.
Diſtricti pendent.

Nota eſt Ixionis fabula, qui cum cœli honore à Ioue dignatus eſſet arcanorumque ipſius particeps, Iunonem amatam de ſtupro interpellauit, illa in ſui ſimilitudinem, nubem obiecit, ex cuius complexu centauros genuit. Iupiter indignatus con fulmine eum ad inferos deiecit, Rotæque volubili, ac ſerpentum plenæ alligauit. Vnde & Vergilius.

Atqui Ixioni vento rota conſiſtit orbis.

Et Ouidius.

Voluitur Ixion, & ſe ſequitur, fugitque;

In hoc eodem gradu poni poteſt etiam excommunicatio, quæ eſt meri imperij ſecundum Innocent. in cap. tranſmiſſa de Election. & appellatione mortis de iure canonico comprehēditur excommunicatio cap. per venerabilem & ibi Abb. Qui fil. ſint legit. & eodem modo appellatione pœnæ capitalis Gloſſ. in cap. 1. in verbo titulos de ſent. excommunicat. nam nulla eſt maior pœna in Eccleſia quam excommunicatio cap. corripiantur 24. q. 3. Ideo Gloſſ. in §. minor Inſtit. de capit. diminut. dicit, quod excommunicatus æquiparatur Deportato, & Gloſſ. in cap. paſtoralis in gloſſ. fin. poſt princip. de Appellat. dicit, quod æquiparatur relegato.

Item poni poteſt etiam in hoc eodem ſecundo gradu meri imperij, carceratio ad tempus, vel condemnatio ad tempus

Digitized by Google

ad opus publicum l.capitaliũ §.diuus, ff.de Pœnis & tradit poſt alios Bolognet.d.nu.79.& omnes Moderni volunt.

Tertij gradus meri imperij, quod Paruum dicimus multa etiã exempla afferri, ac in medium adduci poſſunt, quæ ad exi-
10 ſtimationem non ad capitis periculum pertinent,& quæ à Bart.in 5.& 6.gradu ponuntur.

Primum exemplum erit, Fuſtigatio, quæ eſt famoſiſſima l.fuſtium, C. ex quibus cauſ. infam. irroget. quando tamen ex turpi cauſa irrogatur l. ictus fuſtium inf. de his qui not.infa.

Secundum exemplum erit,vinculorum publicorum,l.capitalium, §.ad ſtatuas, ff. de Pœnis l.ſenatuſconſulto, ff.de iniur. Intelligo vincula,machinas quaſdam ligneas in quibus ſunt foramina, vt collum imitatur, non autem intelligo de carcere, cum carcer non ſit inuentus ad pœnam, ſed ad cuſtodiam l.aut damnum, §.ſolent, ff. de Pœnis. vide Cuiac. obſeruat.lib.12.cap.29.

Tertium exemplum erit, in omnibus pœnis criminum irrogantibus infamiam, vt ſunt remotiones à dignitate & miſſiones ignominioſæ l.2. §.miles, & §. ignominioſam, ff. de his qui not.infam.

In hoc eodem gradu poni poſſunt etiam pœnæ honorariæ, cuius ſpecies multæ enumerantur à Io. Langleo Semeſtr. lib.10.cap.1.Fuit pœna honoraria illa,quam in militiæ deſertores, eoſque qui pro patria arma capere recuſaſſent Charundas Thuriorum legumlator conſtituiſſe dicitur, lege enim ſanxiſſe eum, Diodorus eſt author, vt huiuſmodi viri muliebribus veſtimentis induti,in medio foro ſiſtere cogerentur, terque eodem ſingulis diebus, ante omnium ora ſuggeſto, eodemque ornatu conſiſtere. Tametſi enim ab antiquis legumlatoribus, mortis ſupplicio coercita huiuſmodi ignauia fuiſſet, non minus grauis videbatur hæc honoraria mulcta,longè namque(ait ille)mortem præſtat op-
11 petere, quam tantam ignominiæ calamitatem, diutius in media patria experiri,tamque abiecto ludibrio ciuibus ſuis, vulgoque vitam perpetuo obnoxiam trahere Diodorus Sicul.Biblio. ſuæ lib.12. Fit, & ab eodem mentio honorarij alterius ſupplicij, quod & Charondæ legibus conſtitutum

fuit,

Digitized by Google

fuit, aduerſus eos qui calumniæ cuiquam illatæ conuicti fuiſſent, nempe, vt ij per vrbem myrica coronati circumueherentur, cunctiſque ſic circum paſſim ciuibus oſtentati, innoteſcerent, peruulgato ſupplicij probro, veluti perniciosiſſimo flagitij genere, contaminati, mores gererent, exagitarentur. Additque Diodorus fuiſſe nonnullos huius ſceleris conuictos, quibus ſibi ipſis manus afferre, mortemque ſibi conſciſcere iucundius viſum fuit, quam in tanta probri ignominia vſquam conſpici: d. lib. 12. Fuit & honoraria pœ- f
na verbalis caſtigatio, de qua diximus ſupra in Tit. de offic. præfect. vigil. ſic apud Dionem Liuia, eos qui propter adoleſcentiam, aut imprudentiam, aut ignorantiam aliove caſu volentes deliquerint, aut inuiti, arbitratur eſſe tantum admonendos, propoſitiſque minis continendos, cuius oratione permotus Auguſtus reos plurimos verbis ſolum admonitos dimiſit. Dion. in Auguſt.

Item poni poteſt etiam exemplum in pœna pecuniaria, quando pœna fiſco applicatur, nam tunc æquiparatur pœnæ corporali ſecundum Gloſſ. in l. lex Cornelia in principio, ff. de iniur. & in l. 3. vbi & Bart. notat, ff. de ſepulchr. violat. & tradit Riminald. & Bolognet. in d. l. imperium nu. 83.

Et hæc de mero imperio dicta ſufficiant. Nunc de mixto videndum eſt.

Quid ſit mixtum imperium.

Mixtum dici nemo ignorat quod alteri rei permixtum eſt, veluti plumbum con argento l. Idem Pomponius, §. ſed ſi
12 plumbum infra, de Rei vindicat. vel quod naturam diuerſorum ſortitur, pro vt mixta actio dicitur, quæ tam rei, quam pœnæ perſecutionem continet §. ſequens Inſtit. de Action.

Ideo, & Mixtum Imperium dicitur, quod participat, & de Imperio, & de iuriſdictione, & quod iuriſdictioni, ſeu cauſarum ciuilium cognitioni, ita coniunctum eſt, vt ei inſeparabiliter cohæreat l. 1. §. vlt. ſupra de offic. eius. vnde recte poſſumus dicere, quod qui habet iuriſdictionem, hoc quoque

Im-

Digitized by Google

Imperiũ habere intelligitur vt in l.vlt.Eod.Tit.de off.eius. Atque hinc patet, merum, & mixtum inuicem opponi, quod & facetum illud Martialis Epigramma de Caupone rauenatæ oſtendit.ibi.

Sit ſciſterna mihi, quam vinea malo Rauennæ
Cum poſſim multo vendere pluris aquam
Cal lidus impoſuit, nuper mihi caupo Rauennæ
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Mixtum igitur Imperium dicitur ſecundum Vlp. in d.l.imperium; illud, cui iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Papinianus autem in l.1.§.fin.ſupra de offic.eius,ſcribit, Mixtum imperium eſſe, quod iuriſdictioni cohæret id quod poſtea in modica coercione conſiſtere dixit Paul.in l.fin.Eod.Tit.

Sciendum tamen eſt, differentiam eſſe. An in mixto imperio inſit iuriſdictio, vt in d.l. Imperium; An verò mixtum im-
13 perium cohæreat iuriſdictioni,vt in d.l.1.§.fin.Nam.

Mixtum Imperium, cui iuriſdictio ineſt, illud eſt, in quo vis imperij magis elucet,quam iuriſdictionis, veluti, cùm Prætor in integrum reſtituit l.eaque, ff.ad l.Municipal. iudices litigantibus dat l. 1. hoc Tit. bonorum poſſeſſionem decernit l.3. cauere iubet ex cauſa damni infecti l. 4. in poſſeſſionem ventris nomine, aut legatorum ſeruandorum cauſa mittit l.4. §.vlt. ſupra de offic.eius, alijſque extraordinarijs poſtulationibus, quas nos officij iudicis implorationes vulgò dicimus,morem gerit l.hæreditas in fine,ff.de Petit.hæredit.l.pecuniæ,§.actionis,ff.de verb.ſignificat.

Mixtum autem imperium, quod iuriſdictioni cohæret illud eſt, quod deſeruit iuriſdictioni, & eius explicandæ cauſa exercetur d.l.1 §.fin.ſupra de offic. eius quod poſtea in modica coercione conſiſtere dicitur in l.vlt. Eod.Tit.

Sed dubium eſt in quo conſiſtat hæc modica coercio, Bart. in
14 l.2.nu.2.hoc Tit. putat eam conſiſtere in verbis non in re, & ita intelligit,d.l.vlt. & probatur etiam.

Primo per l. 1. ff. de iur. patronat. vbi libertus inofficioſus patrono caſtigatur à Præſide verbis, ſub comminatione ſeueritatis non defuturæ, ſi rurſus cauſam querelæ præbuerit.

Se-

Digitized by Google

ſecundo per l. 1. §. cum patronus ſupra de offic. præfect. vrbi; vbi ſi patronus à liberto contemnatur, Præfectus vrbi pro modo querelæ corrigere, aut comminari, aut fuſtibus caſtigare, aut vlterius in pœna procedere poteſt.

Tertio per l. nec quicquam §. de plano ſupra de offic. proconſul. vbi dicitur poſſe Proconſulem de plano libertum non obſequentem verbis emendare & filium à patre oblatum, qui non vt oportet, conuerſatur, minaciter terrere.

Quarto per l. 3. ſupra de offic. præfect. vigil. vbi Præfectus aut fuſtibus caſtigat eos, qui negligentius ignem habuerunt aut ſeuera interlocutione comminatus fuſtium caſtigationem remittit.

Sed hæc iura, nihil faciunt ad rem; quia iſta caſtigatio verbalis, quæ honoraria dicitur, ex cauſa criminis originem trahit, & ideo meri imperij infimi, prout ſupra etiam à nobis poſita fuit, & non mixti, cenſeri debet.

Credo igitur ego, hanc modicam coercionem, quæ iuriſdictioni cohæret, conſiſtere in executione rei iudicatæ in ciuilibus.

In actione enim reali fit executio, modo, & forma tradita in l. qui reſtituere infra de Rei vindicat. quæ eſt, vt ſi rem habeat Reus, militari manu cogatur eam reſtituere, ſi non habeat, ſed dolo deſierit habere, condemnetur quanti Actor in litem iurauerit, ſi nec habeat, nec dolo deſierit habere, quanti Actoris interſit.

In actione autem perſonali, fit executio captis pignoribus l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his, ff. de liber. agnoſcend. & hanc coercionem habēt etiam Magiſtratus municipales l. quemadmodum §. magiſtratus, ff. ad l. Aquil.

Fit etiam coercio mulctis impoſitis l. 1. §. ex hoc reſcripto, ff. de ventr. inſpic. Eſt autem mulcta pœna pecuniaria, qua Magiſtratus pro modo iuriſdictionis ſuæ contumaces, &
15 inobedientes coercent l. 2. §. vlt. infra ſi quis in ius vocat. non ierit l. ſi qua pęna 131. & l. aliud eſt fraus 144. ff. de verb. ſignificat. Mulctam inde dictam M. Varro ſcribit lib. 19. rer. human. quòd cùm olim pecuniaria peccati pœna vna tantum exigi ſoleret, vt Ouis, aut Bos, multa, ſeu multiplex

poſtea

poſtea exigi cœperit; Mulctæ vocabulum, non latinum, ſed Sabinum eſſe, idem Varro author eſt. Erat autem olim maxima, mulcta triginta boum, & duarum ouium; minima autem vnius ouis Gell. lib. 11. cap. 1. cuius ſolemnia verba hæc fuiſſe idem Gell. ex Varrone ſcriptum reliquit. M. Terentio quando citatus, neque reſpõdit, neque excuſatus eſt. Ego ei vnam ouem mulctam dico. inde poſtea lege Aterina in pecunia mulctari cœptum fuit, & oues, ſingulas denis ęris, boues centum æſtimatæ fuerunt Gell. dicto loco.

Bart. tamen in vltimo gradu meri imperij, putat mulctam eſſe meri imperij. Sed animaduertendum eſt, quod conſtituitur differentia, inter pœnam, & mulctam. Primo quia mulcta
16 infligitur contumaciæ, pœna delictis. Secundo, mulcta eſt pecuniaria tantum, pœna ne dum pecuniaria, ſed etiam corporalis. Tertio mulcta conſiſtit in ſolo arbitrio iudicis quamuis arbitrando, modum lege præſcriptum excedere non poſſit l. eos, C. de Modo mulctar. pœna ex conſtitutione iuris pendet d. l. aliud eſt fraus, & d. l. ſi qua pœna.

Item coercetur debitor etiam captura perſonæ l. cum ab eo, ff. ad l. Iul. peculat. nam debitores detinentur, ſi creditoribus non ſatisfaciant datis bonis Gloſſ. in l. 3. §. tutores, ff. de ſuſpect. Tutor. & ibi Bart. num. 3.

Carcer de iure ciuili duplex eſt, alter ad cuſtodiam delinquentium, alter ad cuſtodiam debitorum. Si carceratio fiat ex cauſa delicti, eſt meri imperij, quia idem iudicatur de principio actus, quod de ipſo actu l. oratio, ff. de ſponſalib. cum
17 ſimilibus, ideo ſi Reus carceretur ad hoc vt inde cõtra eum inquiratur de delicto, talis carceratio erit meri imperij, ſicut ipſum delictum, pro quo detentus fuit. At ſi carceratio fiat ex cauſa debiti, erit mixti imperij, nam poteſt quis in multis caſibus detineri in carcere pro debito, donec ſatisfaciat l. 1. C. Qui bon. ceder. poſſ. & d. l. cum ab eo, ff. ad l. Iul. peculat.

Hæc diſtinctio mixti imperij, cui iuriſdictio ineſt, ab eo quod cohæret iuriſdictioni, non caret fructu, & vtilitate; quia
18 Mixtum Imperium, cui iuriſdictio ineſt, mandari quidem nominatim poteſt l. 4. ſupra de offic. eius. Cæterum manda-

ta ſim-

Digitized by Google

ta ſimpliciter iuriſdictione non tranſit, niſi ſingularis fauor cauſæ poſtulet d.l.4. At mixtum imperium cohærens iuriſdictioni, non modo ſpecialiter mandari poteſt, ſed etiam generaliter mandata iuriſdictione tranſit, quia ſine eo iuriſdictio nulla eſſet l. vlt. ſupra de offic. eius & propterea dicitur in l. 2. hoc Tit. quod data iuriſdictione, omnia cenſentur data, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt, & hæc de imperio & mero, & mixto dicta ſufficiat reſtat nunc vt & de ſimplici iuriſdictione dicamus.

Quid ſit ſimplex iuriſdictio.

Simplex iuriſdictio ſecundum eundem Vlpianum in eadem l. imperium, eſt iudicis dandi licentia. Mirantur plerique quod Vlpianus iuriſdictionem eſſe iudicis dandi licentiam
19 dixerit, adeò vt & nonnulli paulò audaciores cõtenderint, legendum eſſe, non iudicis dandi, ſed iuris dicendi, contra fidem omnium exemplarium. Ego autem, nihil verius & ad tempora Vlpiani accomodatius dici potuiſſe exiſtimo, nam eo tempore, Prætores, & alij ſimiles magiſtratus, iudicia, & iudices dare in cauſis priuatis & pecuniarijs magis, quàm iudicare ſolebant. Qua ratione idem Vlpianus docere volens quam latè pateat ius dicentis officium, ait in l. 1. eum poſſe iudices litigantibus dare, nec vllam cognitionis, aut iudicationis mentionem facit. Sed poſtea poſteriorum Imperatorum temporibus, nempe à Diocletiano vſque ad Iuſtinianum, cognouerunt Magiſtratus, ac dandorum iudicum mos ferè obſoleuit. Primus enim conſtituit Diocletianus, Præſides poſſe cognoſcere, de quibus cauſis ante iudices dabant, & vetebantur ipſi cognoſcere l. placet, C. de Pedan. iudic. vnde ſi ad tempora Vlpiani inſpiciamus, rectè dicimus; iuriſdictionem eſſe iudicis dandi licentiam; ſi verò poſteriora tempora, nõ malè definiemus iuriſdictionem eſſe cognoſcendi, iudicandique facultatem in cauſis priuatis, ac pecuniarijs. Et hæc de iuriſdictione etiam dicta ſufficiant.

Cognita iuriſdictione ſuccedit impetratio iudicij, qua in par-

te, ne quis, aut petere, aut concedere, ius, iudiciumve iniquũ audeat, primum edicitur, vt quod quiſq; iuris quis in alium ſtatuerit, vel obtinuerit, eodem & ipſe contra ſe vtatur, quę eſt æquiſſima lex talionis, & vtilis conſtituendis rectè iudicijs regula in Titulo.

Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit vt ipſe eodem iure vtatur.

Tit. II.

1 *Edictum quod quiſque iuris ad quid pertineat.*
2 *Differentia inter magiſtratum ius nouum et iniquum ſtatuentem & partem impetrantem.*
3 *Si Doctor conſuluit in vno caſu, & ſimilis ſibi contingat, an teneatur ſequi illud conſilium contra ſe.*
4 *Quid ſi magiſtratus Aſſeſſorum opera vtens aliquid noui ſtatuerit.*
5 *Quid de Procuratore.*
6 *Et an omnes poſſint vti retorquutione contra impetrantem.*

EDictum quod quiſque iuris, quod Ciceronis ætate in vſu etiam fuiſſe ex eodem Cicerone Epiſt. 1. ad Q. Fratr. lib. 1. conſtat, & cui conuenit illud. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, dictum ab Alexandro ſeuero adeò dilectum, & veneratum, vt illud in Palatio, & alijs publicis operibus præſcribi iuſſerit, quemadmodum Lampridius in il-
1 lius vita narrat pertinet non ſolum ad iuriſdictionem coercendam eorum magiſtratuum, qui ius nouum, & iniquum contra alios ſtatuunt, præcipiendo, ſtatuendo, vel ſententiando; ſed etiam ad coercendam audaciam partium, quæ & ipſæ ius nouum, & iniquum, iniquam ſententiam, aliquodve decretum contra ius aduerſus alios obtinent; nam & Magiſtratus finito officio (quoniam donec illud gerit, in ius vocari non poſſe conſtat l. 2. infra de in ius vocand.) &

Pars.

Pars contra ſe, cum euenerit caſus in eorum perſonis, eodem iure vti tenentur l. 1. §. qui magiſtratum, & §. ſi quis.
2 Differentia tamen eſt intr Magiſtratum, & Partem. Nam Magiſtratus non aliter tenetur, niſi quando dolo ſtatuit l. 2. & tenetur etiam ſi pars potuerit appellare, & non appellauerit ſecundum Bart. & omnes, quia dolus præponderat culpæ. Pars verò tenetur etiam ſi ſine dolo impetrauerit ſecundum Gloſſ. in d. l. 1. in verbo, ſi quis, quæ duplicem rationem reddit. Item non ſufficit magiſtratum ſtatuiſſe nouum ius, niſi & illud nocuerit alicui, quia verba cum effectu accipi debent d. l. 1. §. hęc autem verba. At ſufficit quod pars impetrauerit, licet eo vſa non fuerit l. 3. in principio; non, quia non haberet animum vtendi, ſi caſus eueniſſet, ſed quia ei non euenit caſus vtendi. Secus ſi poſtquam impetrauerit, nolit vti, & renunciet impetratis, nam in hoc caſu ſimul cū Bologneto in d. l. 1. §. ſi quis nu. 8. exiſtimo, talem impetrantem non incidere in hoc edictum. Ex quibus ſequitur, & infertur quod ſi Doctor conſuluit in vno caſu vno modo, &
3 ſimilis caſus ſibi contingat, tenetur ſequi illud conſilium contra ſe Angel. Alex. & Iaſ. hic nu. 19. intellige in conſilio deciſiuo dato iudici, vt eſt caſus in l. 2. ſecus in conſultiuo, nam non daretur retorquutio contra conſulentem, ſed cōtra partem, vt probatur in l. 3. §. ſi procurator, & tradit Caſtr. hic. Sed quid ſi Magiſtratus Aſſeſſorum opera vtens ali-
4 quid noui iuris ſtatuerit, An Magiſtratus, vel eius Aſſeſſor teneatur, & dicitur in l. 2. Aſſeſſorem potius quam magiſtratum puniendum eſſe. Quid de Procuratore? diſtingui-
5 tur in l. 3. quod ſi Procurator habet ſpeciale mandatum, vel Dominus ratum habuit, tenetur Dominus, aliàs tenetur Procurator. Deterior eſt conditio Tutoris, Curatoris, & ſimilium perſonarum, quæ indiſtinctè tenentur d. l. 3. §. ſi tamen tutor; quod propter vtilitatem pupillorum ſtatutū eſt.

Sed quęro, ſi quis impetrauerit ius iniquum contra Titium, An alij omnes poſſint vti retorquutione contra imqetrantem. Gloſſ. in l. 3. §. hæc pœna tenet quod ſolus Titius, ſequitur Bart. Bald. Angel. Caſtr. Roman. Alex. & alij communiter. Ego tamen vereor ne non ſit probabilior opinio aliud exi-

Digitized by Google

'imantium Azonis, ſcilicet, Placent. Mart.de Fan.Andr.
6 de Piſis, Fulgoſij, Iaſonis num.24. Oroſcij & aliorum; Pro qua & verba d.l.3.§. hæc pœna bene ſe habent, ibi, *non ſolum eo poſtulante qui ab eo læſus eſt, ſed omni, qui quandoque experitur*. Nec eſt verus intellectus Gloſſ. quod intelligatur quando impetratio fuit facta contra omnes generaliter, quoniam diuinat & deſtruit tex. & hoc modo eſſet de indubitabili, & refragantur etiam verba illa *non ſolum eo poſtulante qui ab eo læſus eſt*, nam ſi impetratio fuiſſet generaliter facta, omnes ex impetratione fuiſſent læſi, & probatur etiam per l.ratas, C.de Reſcind.vendit. vbi eſt tex. expreſſus, de quo Bart. non videns reſponſum remittit ſe ad Cynum ibi, qui diuinando dupliciter reſpondet, nec minus valet ſolutio Salicet. hic in d.l.3. Et quod de poſtulante, ſeu aduerſario iura loquuntur in l.1.& 3.in principio, quæ contrariari videntur non ad impetrationis, ſed ad iudicij tempus referre oportet l.in delictis.§.ſi extraneus, ff. de Noxalibus Secundo, vt ſua conſtet, iudicijs, & decretis, vis, atque auctoritas, denunciatur pœnale iudicium his, qui ius dicenti non obtemperant in Titulo.

Si quis iuſdicenti non obtemperauerit.

Tit. III.

1 *Duum viri qui dicantur.*
2 *Quæ ſit cauſa huius ædicti.*
3 *Quando quis dicatur non obtemperaſſe iudici.*
4 *Pro extremo iuriſdictionis quid ſit intelligendum.*
5 *Ad quid detur hoc ædictum.*
6 *Quanti ea res eſt, & id quod intereſt an idem ſint.*
7 *Intellectus l. 1. §. hoc iudicium.*

PRoponitur nobis in hoc Tit. edictum aliud, ad munus, & officium ius dicentis pertinens, quo continetur pœna eius, qui ius dicenti non obtemperauerit. Ait enim Vlpianus in l. 1. *omnibus magiſtratibus, non tamen Duum viris, ſecun-*

Digitized by Google

ſecundum ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſſe iuriſdictionem ſuam pœnali iudicio defendere. Quidam legunt, *non tantum Duumviris*, Bart. inquirit, vtra lectio melior ſit, ſed tandem primam recipit, & alij ſequuntur.

Duum viri qui dicantur.

Duum viros crebrior Doctorum expoſitio, magiſtratus municipales inlelligit Bart. Alberic. Angel. Salicet. Alex. & alij Municipia dicta ſunt, vt Gell. docet lib. 16. cap. 13. Ciuitates, quæ cum omnino ſuis moribus, & legibus viuerent, munera con Populo Romano capiebant; vnde & Municipes appellati ſunt Ciues illarum Ciuitatum, qui in vrbi-
1 bus ſuo iure, & legibus vtentes, muneris tamen honorarij con Romanis, tanquam Romani participes erant; ob id municipes appellati quaſi muneris participes. Hodie verò municipes dicimus, ſuos cuiuſque Ciuitatis Ciues l. 1. ff. ad Municipalem & de incolis. In more enim olim poſitũ fuit, vt prouinciarum Præſides in celebriore aliqua Ciuitate reſidentes, magiſtratus per cætera municipia conſtitnerent, quorum opera ius prouincialibus redderetur, neque enim ipſi ſingulis locis intereſſe poterant l. præcipimus, C. de Appellat. ob idque Decuriones primum creati fuerũt, qui eodem in municipijs, quo ſenatores in vrbe munere fungerentur Vall. lib. 6. cap. 32. non iudicandi, ſcilicet, ſed publicè conſulendi gratia l. pupillus, §. decuriones, ff. de uerb. ſignific. ex quibus tamen deligi ſolebant magiſtratus, qui ius dicerent, & iudicarent l. reſcripto, ff. de Muner. & honorib. neque enim, qui decurio non erat, alijs honoribus poterat in municipijs fungi l. honores §. is qui ff. de Decurionib., & hi iuri dicundo ex ordine decurionum præpoſiti, magiſtratus municipales dicti fuerunt; Qui cum ſine imperio & poteſtate eſſent, l. ea quæ ff. ad Municipalem ius coercendi non habebant, vt declarat Socin. in d. l. 1. nu. 4. & Iaſ. nu. 17. nam & inter minores magiſtratus ſemper relati fuerunt l. nec magiſtratibus, ff. de iniurijs.

Ego autem exiſtimo, Duum viros non eſſe magiſtratus muni-

cipales

cipales iuriſdictionem habeant, conſequenter etiam & coercionem habere debent iuxta regulam l. 2. ſupra de iuriſdict. iuncta l.fin. de offic. eius. Item quia omnes magiſtratus mulctare poſſunt, dummodo non ſint delegati l. aliud eſt fraus, ff.de verb.ſignificat. Et dicere, quod intelligi debeat tex. vt ſcilicet, non poſſint in magnis cauſis, magnas mulctas, ſed bene in paruis poſſint paruas mulctas imponere, eſt contra eiuſdem tex.verba, ibi, *ſecundum ius poteſtatis ſuæ*, quod nihil aliud eſt dicere, niſi quod magni magiſtratus poſſunt magnas mulctas imponere, & parui paruas, vnde exceptio de Duumuiris ſuperflua eſſet.

Alij igitur, Duumuiros accipiunt, non iudices quibus ſit iuriſdictio, ſed qui ſolum adminiſtrationem Ciuitatis & gubernationem habent, nam iſti mulctare non poſſunt quoniam iuriſdictionẽ non habẽt, ſicut nec Procurator Fiſci, & Cęſaris l. 2. & 3. C. de Modo Mulctar. & iſte intellectus fuit Petr. Cyn. poſt Iacob. de Aret. quem etiam ſequuntur Bart. Bald. Paul. de Caſtr. & alij, quorum ſententiæ ego magis accedo; tum quod cõtextui magis quadret, cum etiam quia Duumuiri non magiſtratus municipales, ſed Duo erant, qui ex ordine Decurionum eligebantur. Ex ijs enim qui ſummum honorem in municipijs gerebant, Duo fuerunt, idcirco Duumuiri appellati, quibus carcerum, & negotiorum publicorum cura demandabatur abſque poteſtate tamẽ mulctandi, l. vnica, ff. de Albo ſcribend. l. duumuirum, C. de Decurionib. lib. 10. ſcribit Alciat. Diſpunct. lib. 3. cap. 5. & Coraſ. in l. magiſtratibus num. 7. ſupra de iuriſdictione.

Cæterum quod Accurſ. putat Duumuiros fuiſſe Defenſores Ciuitatum, error eſt; nam Defenſores Ciuitatum, non ex Decurionibus ſed ex reliquo Ciuium corpore, tres numero eligebantur, quibus ſalus populi, & tutela vrbis credebat[...] quorumque partes erant, curare, ne leuiori[...] a potentioribus opprimerentur, id[...] lati l. 1. 2. l. defenſoribus l. defenſor[...] C. de Defenſorib. Ciuitat. Incog[...] ſultis magiſtratus, cui iuriſdi[...] que ad aureos trecentos, & le[...]

legitimaque caſtigatio permiſſa fuit, §. & iudicare, & §. audient Auth. de Defenſorib. Ciuitat. dum ſeuera non exercerent iudicia d. l. defenſores. 2.

Quæ ſit cauſa huius edicti.

Cauſa huius edicti eſt contumacia non obtemperantis ius dicenti, vt ipſamet Tituli inſcriptio indicat, & quod hic edicitur hoc edicto puniri eum, qui magiſtratui non obtemperauerit, ſic accipiendum eſt, ſi vſque adeo perſeuerauerit in contumacia ſua, vt quod extremum eſt in iuriſdictione, non fecerit. Sic enim loquitur Vlpianus in d. l. 1. §. is videtur, qui tex. difficillimus habetur a Doctoribus noſtris, adeo vt tres
2 intellectus referat Accurſ. ſeptem Bart omnes communes, præter Bulgari vnum, quem cum cæteri repræhendant, Zazius, Duarenus, & recentiores quidam ſuſtentant. Omnes tamen fatentur congrue verba tex. intelligi non poſſe; nemo enim eſt qui non diuinet, vel ſuppleat, vel detrahat, vel verborum proprietatem corrumpat. Communis tamen opinio, vt ex Gloſſa intricatiſſima colligitur eſt, vt tunc di-
3 catur non obtemperatum Iudici, quando, vel principium medium, aut finis iuriſdictionis contemnitur, vt ſic, in quacunque parte litis fiat inobedientia puniri poſſit; *Et ita, ſub* extremo intelligunt primum, & vltimum, & ea *quæ in iu*riſdictione media ſunt, intelligunt per tex cum dicit. *Si & ſequentia recuſauit.* Ego licet non contradicam, omnem inobedientiam Iud[illegible] ſtam, ex cauſ[illegible] puniri poſſe, in noſtro tamen edicto [illegible] m puniri [illegible] Iudici ius dicenti non paret [illegible] ando [illegible] noſter ſatis aper[illegible] di [illegible] ideri [illegible] obtemperaſſe, [illegible] iuriſ [illegible] fecit; Pro ex[illegible] go, [illegible] unis opinio ha[illegible] eo ſi [illegible] ad ſe vocanti nō [illegible] uò [illegible] huius edicti, ſed ſi [illegible] us [illegible] entem iuſſerit du[illegible] o, [illegible] erſarium in poſſeſ[illegible] l. [illegible] ceperit, & is adhuc

non

non obtemperauerit, tunc tenebitur pœna huius edicti; quia hoc extremum in iuriſdictione eſt. Cum non poſſit magiſtratus vltra decernendo, aut ius dicendo progredi. Sed ſi ſequentia recuſauerit, ideſt, exequutoriales quoque iuſſus ſpreuerit, quod certè extremum eſt in iuriſdictione, tunc dicetur non obtemperaſſe. Id quod non abſimili exẽplo apertiſſimè Vlpianus docet, dum ait, *veluti ſi quis rem mobilem vindicari à ſe paſſus non eſt*, hoc eſt, ſi vocatus non compareat, ſperans fortè, vt ita condemnationem euitet, cùm lite non conteſtata non poſſit aduerſus quenquam Romano iure ſententia ferri; *ſed duci eam vel ferri paſſus eſt*; Adde; ſcilicet, non incidit in pœnam, quaſi non obtemperauerit; quia, licet primo præcepto ius dicentis non paruerit, tamen ſequenti præcepto obtemperauit; & idem dicendum eſt, ſi pluribus pręceptis gradatim vſus ſit magiſtratus, & extremo tantum præcepto paruerit Reus, nam quod extremum eſt in iuriſdictione ab eo factum eſſe ſufficit, vt hanc pœnam effugiat. Idque optima ratione; nam cum & paruiſſe, & non paruiſſe eum verum ſit, benignius eſt, edictum ita interpretari, vt pœnam non incurrat, iuxta regulam l. ſi de interpretatione ff de Pœnis. Cæterum ſi & ſequentia recuſauit; hoc eſt, ſi eam duci, vel ferri paſſus non eſt; tunc non obtemperaſſe videtur; & conſequenter huius edicti pœna tenetur; quia quod extremum in iuriſdictione eſt, non fecit; nec mirum alicui videatur, quòd verba aliqua hic ſubaudienda ſint, cùm huiuſmodi ſchemata apud veteres & bonos Auctores, vſitata ſint, vt oſtẽdit Duaren. lib. 1. Anniuerſa. Diſputat. cap. 50. qui veſtigia Bulgari ſequutus & ibi, & hic, ſimul con Zazio, hunc intellectum tenet. Et ſic punitur ex hoc edicto, qui imperio, ſeu præcepto iudicis, ad executionem iuriſdictionis pertinenti, non obtemperat, quia tunc certum eſt, eum non obtemperaſſe ius dicenti; Alioquin qui in ius vocatus non venit, is vtique contumax eſt, & malè facit? propriè tamen nihil adhuc ei præceptum eſt, quod contemnat, & in hoc differt hic Tit. qui grauiorem contumaciam habet, quam nos extremum iuriſdictionis vocamus, ab illo; ſi quis in ius vocat. non ierit, qui leuioris con-

ris contumaciæ ſpecies tractat. Sed animaduertendum eſt, quod, nec verba edicti ad Actorem contumacem pertinere, nec ratio agendi de qua loquimur contra Actorem locum habere poſſe videtur, cùm in eo executio iuriſdictionis conſiderari non poſſit? Reſp. quod cum eadem ſit petitoris, & eius vnde petitur ratio, Labeo exiſtimauit, petitorem quoque hoc edicto teneri, id quod commodiſſimè fieri poterit, denegando ei iuriſdictionem, vt in l. ſed & ſi per prætorem, §. ſed & ſi dum decreto infra; Ex quib. cauſ. maior. quo in loco, & hic, Vlpianus Labeonem huius opinionis auctorem laudat. Sed quid dicemus, ſi Procurator, Tutor, vel Curator ius dicenti non obtemperauerit? & Vlpianus ait in §. ſi procurator, ipſos hoc edicto puniendos eſſe, non dominum, vel pupillum; Non enim Dominus, qui procuratorem dat, videtur ei mandare, vt ius dicenti non obtemperet.

Ad quid detur hoc edictum.

Hoc iudicium, non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt, datur, & cum meram pęnam contineat, neque poſt annum, neque in hæredem datur, tex. eſt in eadem l. 1. in §. hoc iudicium, qui tex. eſt difficilis, propterea quod videtur habere in ſe euidentem repugnantiam, propter illa verba, *non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt*, quæ tanquam diuerſa hic ponuntur, cùm tamen paria ſint. Triplex enim eſt intereſſe; Commune, Speciale, & Conuentum; Commune eſt, cum res æſtimatur quanti communiter valet; Speciale, cum ęſti-
5 matur quanti ſpecialiter valet ad affectum, ęſtimantis, Conuentum, cum inter partes conuentum eſt, vt ſi aliquid non fiat, pro intereſſe, ſoluantur decem, vel viginti; Modo, ſiue inſpiciamus intereſſe commune, quod veram rei æſtimationem continet & de quo propriè loquitur tex. hic, ſiue ſpeciale quod æſtimationem ex affectu ſpeciali habet; (nam de Conuento nihil ad nos) dicendum eſt, quod idem ſit dicere, quanti intereſt, & quanti ea res eſt. De communi non eſt difficultas, tex. eſt enim apertus in l. fin. ff. de Prætorijs ſtipulat. & in l. inter hæc verba 179. ff. de verb. ſignificat. De

ſpeciali etiam idem eſt dicendum; quia tanti mea intereſt, quanti ea res eſt quoad affectum, & probatur etiam in l. 1. §. hæc actio ff. Ne vis fiat ei qui in poſſeſſ. miſſ. eſt, vbi ſi expellitur poſſeſſor, dabitur actio contra expulſorem ad id quanti ea res eſt, id eſt, quantum ſpecialiter intereſt expulſi. Idem in l. pen. §. 1. Infra, Ne quis eum qui in ius vocat. eſt, vi eximat. vbi Actori læſo datur actio quanti ea res eſt, dicit tex. ibi, *quod non continet veritatem, ſed quanti per actorem intereſſe ſuum æſtimatur.* Cum igitur hæc paria ſint id quod in-
6 tereſt, & quanti ea res eſt, & tot iura hęc duo parificent, quid eſt, quod hic tanquam diuerſa ponuntur? item cùm pœna, & id quod intereſt diuerſa ſint, l. pen. §. 1. infra Ne quis eum qui in ius vocat eſt vi eximat, quid eſt quòd pro eodem ponuntur? certè mirum videri non debet, ſi DD. in intelligentia huius tex. ſunt fatigati. Dicamus nos ſimul con Zazio, & Rebuffo, quod res hic ponitur pro offenſione, vt ſit ſenſus, quanti ea res eſt, ideſt, quanti eſt offenſio, inobedientia, ſeu contemptus, & pro qualitate illius, rei enim appellatio eſt generaliſſima l. 1. §. rei infra ſi cert. pet. l. rei infra de verb. ſignificat. Sic in l. 1. §. hæc actio infra Ne vis fiat ei &c. quanti res eſt exponitur, ideſt, quanti eſt ea expulſio. Sic in l. 4. §. in eum infra de Damn. infect. quanti ea res eſt, exponitur ideſt, quanti damnum eſt quod inciditur ob omiſſam cautionem. Et ita videtur ſenſiſſe etiam Alciat. in d. l. inter hæc verba, ff. de verb. ſign. vbi reſoluendo hunc tex. dicit, hic nō venire intereſſe, ſed pœnam, vel grauiorem, vel leuiorem, quo maior fuit Iudex, qui contemnitur, vel quo cōtemptus eſt maior; & ideo dicitur in tex. quod hoc iudicium meram pœnam continet, & propterea, et ſi calumniator fuerit actor, nihilominus hæc pœna locum habet, vt ſcilicet, contempta Prætoris maieſtas vindicetur argumento l. ſi familia ſupra de iuriſdict. Quanti igitur ea res eſt, vbicumque Actor læditur circa iuriſdictionem iudicis idem ſignificat quod id quod intereſt, & ita procedunt iura adducta. Cæterum ſi & actor lædatur & offendatur iuriſdictio, quia maior eſt ratio offenſæ iuriſdictionis, quàm intereſſe actoris, quieſcit, & ceſſat intereſſe, & ſolum conſideratur offen-
ſio iu-

Digitized by Google

ſio iuriſdictionis, & ideo in hoc caſu quanti ea res eſt, non id quod intereſt, ſignificat, ſed offenſionem iuriſdictionis, vt
7 ſic quanti ea eſt, & pro modo contemptus puniatur reus: nam cum ordinaria via per tot leges conſultum ſit Actoribus neceſſe fuerat, quòd etiam offenſæ iuriſdictioni conſuleretur, ſaltem per vnum edictum, vt hic; Et hæc quo ad magiſtratus; Quo autem ad præluſorium certamen actoris, & rei, ſimiliter triplicem gradum obſeruare debemus. Primus gradus eſt vocationis in ius, nam ordinata, atque munita iudiciorum, & actionum impetratione, rectè ſequitur in ius vocatio; de qua in Titulo.

De in ius vocando. Tit. IIII.

1 *Quid ſit in ius vocare.*
2 *Quæ perſonæ in ius vocari non poſſint.*
3 *Quę perſonæ vocari non poſſint ſine venia.*
4 *De pœna vocantis in ius ſine venia.*
5 *In quibus caſibus ceſſet hæc pœna.*
6 *Olim vocatus ſi non ibat inuitus duci poterat.*
7 *Caſus in quibus dimittitur vocatus nec inuitus ducitur.*

INſcribitur Tit. iſte ſimpliciter de in ius vocando cùm inſcribi rectius debuiſſet. De in ius vocando, & ſi quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit. Quæ verba malè in Titulum ſequentem translata fuerunt; Cùm huius rei edictum proponatur hoc Tit. non ſequēti, vt aduertit Ant. Auguſt. lib. 3. emendat. cap. 1. & Cuiacius in Paratitilis hic.

Quid ſit in ius vocare.

In ius vocare eſt ad eum qui iuriſdictioni præeſt, iuris expe-
1 riundi cauſa vocare l. 1.

Quæ perſonæ in ius vocari non poſſint.

Quædam perſonæ ſunt, quæ iure ciuili, & more maiorum

exemptæ ſunt ob legitimam rationem, ne in ius vocentur
2 ad tempus, hoc eſt, perdurante cauſa prohibitionis, veluti, magiſtratus maiores, l.2. quandiu ſcilicet magiſtratu funguntur, nam annui erant apud Romanos magiſtratus l.2. §.& cum placuiſſet ſupra de origin.iur. Hodie verò vbi perpetui ſunt ratio non patitur vt in ius vocari non poſſint, licet con venia id faciendum eſſe exiſtimem iuxta l.13. minores etiam magiſtratus qui ſine imperio ſunt,& neque vocationem habent, neque prehenſionem, vocari non prohibentur l.32. infra de iniurijs. Qui autem cum equo publico in cauſa publica tranſuehitur interim vocari non poteſt d. l.2 Tranſuectio eſt, quam nunc vulgò monſtram dicimus: cum equites,ſcilicet, ſolemniter recenſentur, quomodo inſtructi ſint perſona,equo, & armis, cuius tranſuectionis, & Liuius, & Tranquillus, meminerunt, ſimiliter qui vxorem ducit,vocari non poteſt, iudex donec de cauſa cognoſcit, is qui apud Prætorem cauſam agit, qui funus ducit familiare, aut pietatis cauſa comitatur,& multò minus qui iuſta mortuo facit, hoc eſt, exequias apparat ac alij de quibus in d.l. 2.& 3.Omnibus enim parentibus,liberis,conſanguineis, ac affinibus, Iuſtiniani lege conceſſum eſt, vt non ante dies nouem ab obitu numerandos moleſtentur §.pen. Auth. vt cum de appellat. cognoſcit. & auth.ſed neque,C. de ſepulchro violat.

Quæ perſonæ abſque venia in ius vocari non poſſint.

Quædam perſonæ ſunt,quas Prætor ob publicam honeſtatem aliter non vult in ius vocari, quam impetretur venia ab eo qui iuriſdictioni præeſt l.3. veluti parentes vtriuſque ſexus
3 in infinitum l.4.§.1.etiam naturales tantum l.6. & adoptiui l.8.non ſic patris adoptiui parentes quoniam hi parentes eius non ſunt l.7. Sic nec patroni, nec patronæ, nec liberi, nec parentes eorum vocari poſſunt l. 8. §.patronum cum tribus legibus ſequentibus l.12.14.cum duabus alijs ſequentibus, l.23. & vlt.nec ſocer, nec ſocrus l.16. & 17. infra ſolut.matr. Et generaliter omnes perſonæ quibus reuerentia

præ-

Digitized by Google

præſtanda eſt, ſine permiſſu prætoris in ius vocari non poſſunt l. 13. Sed an in Præceptore, & alijs huiuſmodi perſonis, quibus paterna reuerentia debetur, edictum iſtud locum habeat; quæri poteſt? cùm generaliter dicatur, omnes perſonas quibus reuerentia præſtanda eſt, vocari non poſſe; & puto non habere. Sed verba iſta intelligenda eſſe de his tantùm quibus neceſſitate legis reuerentia præſtanda eſt, quales ſunt parentes, & patroni. nam & ſi præceptori, aut ſeni, naturalis quædam ratio, & honeſtas ſuadeat reuerentiam præſtari, nulla tamen lege id fieri præcipitur, nec quiſquam ad id inuitus cogi poteſt, vt optime Duar. hic.

De Pœna vocantis in ius ſine venia.

Pœna eſt quinquaginta aureorum l. pen. vel ſi inopia laboret caſtigatur l. vlt. neque ruſticitas, aut ſimplicitas excuſat l. 2. C. Eod. hæredi autem vel in hæredem, aut vltra annum cum pœnale ſit iudicium non datur d. l. pen. Sed quid ſi in ius vocentur hi qui iure ciuili, & more maiorum vocari non poſſunt, erunt ne exempti à pœna qui eos vocant? Reſp.
4 quod non, ſed iudex ex officio ſuo illos puniet, pari, aut etiam maiori mulcta, cùm hi magis deliquiſſe cenſeantur, quam alij, facit l. 1. §. 1. ff. de Effract. ibi. *cauſa cognita liberum erit arbitrium ei qui cognoſcit.*

In quibus caſibus ceſſet hæc pœna.

Primo ceſſat pœna ſi pœniteat vocantem, actionemque remittat l. 11. Secundo ſi vocatus non veniat, aut non inuitus
5 vocatus ſit d. l. 11. Tertio ſi quis non proprio, ſed tutório nomine vocet l. 16. licet ſecus ſit ſi ipſe tutorio nomine vocetur l. 10. §. vlt. cuius diuerſitatis rationem vltro ſe ignorare fatentur interpretes, Verum arbitror id eſſe, quia cùm quis in ius ducitur inuitus, quod fieri ſolitum fuiſſe inferius dicam: non ideo minus irreuerenter tractari videtur quod alieno nomine ducatur. At cum quis pupilli nomine id facit, à pupillo factum intelligitur, qui ad nullam reuerentiam

tiam

tiam vocato exhibendam obſtrictus eſt. Præterea ex parte vocati eſt fauor, in hoc quod ei debetur reuerentia, & ideo cuiuſcunque nomine vocetur, ſemper ei debebitur, At ex parte vocantis eſt pœna, ac proinde non punitur ſi ipſe alterius nomine agat, quia odia reſtringuntur; & eo magis quia quod facit, facit ex neceſſitate, vnde facilius toleratur.

Illud omittendum non eſt quod olim veteri Romanorum iure permiſſum erat, etiam ſine vllo apparitone ac iudicis præcepto aduerſarium ad magiſtratum vocare, qui in ius niſi confeſtim iret, & vocantem ſequeretur, inuitus ab
6 eo duci poterat, vt colligitur ex l. 5. §. vlt. infra Qui ſatisdare cogant, & lege conſtitutum fuiſſe teſtis eſt Cicer. lib. 2. de legib. & lib. 2. Rhetor. argumentumq; eſt, quod actio aduerſus eos qui in ius vocatos vi eripiunt, ideſt, è manibus vocantis, ſeu ducentis auferunt, à Prætore proponitur infra titulo Ne quis eum qui in ius vocabitur eximat Horat. ſatyra. 9. lib. 1. *rapit in ius, clamor vtrinq; vndiq; concurſus* facit l. 4 ff. ad l. Iul. de vi priu. dum ibi dicitur *legis Iuliæ de vi priuata crimen committitur cum cœtum aliquis, & concurſum feciſſe dicitur quominus quis in ius produceretur:* & Cicer. pro Quintio *in ius vocat ſequitur; iudicium poſtulat, non recuſat.* Atq; hinc mirum non eſt, ſi filius in ius patrem vocare ſine permiſſu Prætoris non poterat.

Aliqui tamen caſus ſunt, in quibus dimitti iubetur vocatus,
7 nec inuitus ducitur Duo habentur in l. 22. Alter eſt in l. 18. de eo qui intra domum ſuam ſe recepit, ex ea enim inuitus extrahi non debet, quamuis ſi è publico conſpiciatur, diem ei dicere liceat l. 18. & 21. h. t. l. nemo. ff. de Regul. iur. Duaren. hic, & Cicer. pro Domo ſua. Quid eſt ſanctius, inquit quid omni religione munitius, quàm domus cuiuſq; ciuiũ? hic aræ ſunt, hic fora, hic Dij penates, hic ſacra, religiones cęremonia continentur, hoc perfugium ita eſt ſanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas ſit. Tertius caſus eſt, ſi quis iudicio ſiſtendi cauſa ſatiſdederit aut cauerit. vocanti, ſatiſdans enim, ex eorum numero eſt, qui tametſi vocantem non ſequantur, inuiti tamen in ius duci nõ poſſunt, hucq; pertinet ſequens Tit. in ius vocati vt eant, aut

ſatis

ſatis vel caut.dent. ſed quæ & qualis poſtea debeat eſſe uis atq; auctoritas vocationis in ius habetur in Titulo.

Si quis in ius vocatus non ierit, ſiue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.

Tit. V.

1 *Vocatus ad iudicium comparere debet aliàs mulcta damnatur.*

2 *Et quid ſi is ſit qui ex edicto vocari non debuit, nec potuit.*

HVius Tituli duæ ſunt partes prima contra vocatum in ius, qui ex quacunq; cauſa vocatus ſit, tenetur comparere coram Iudice qui eum vocauit, vt ſciatur, an iuriſdictionis eius ſit l. 2. in principio. Prætoris enim eſt æſtimare, an ſua ſit iuriſdictio, vocati autem non contem-
1 nere auctoritatem prætoris, ſed venire, & priuilegia ſua ſi quę habet allegare l. ſi quis ex aliena infra de Iudic. quod ſi vocatus non comparuerit, mulcta pro iuriſdictione iudicis dãnabitur d.l.2.& l.cos. C. de Modo mulctar. id quod nobis argumentum erit, ad pedaneos, vel inferiores magiſtratus, hoc edictum non pertinere, cum tales ius dicendæ mulctæ non habeant l.5.C.de Defenſor.ciuit.l.2.§.fin. infra de Iudic.& l. vnica ſupra ſi quis ius dicent non obtem per.& preter mulctam iudici dandam, ſi quis etiam promiſerit iudicio ſiſti, nec certam pœnam adiecerit, ſi non ſteterit, ad id quod intereſt incerti condictione con eo agendum erit l. vlt. & ſi fideiuſſorem ſiſtendi cauſa dederit non ſuppoſitum iuriſdictioni illius, ad quem vocatur, pro non dato habendus erit l. 1. quandoq; tamen, vel propter ruſticitatem, vel ſi nihil actoris interſit, remittitur pœna d. l. 2. in fine.

Altera, & Secunda Pars huius Tituli eſt, pro eo, qui in ius voca-

vocatus eſt, qui, ſi is ſit, qui ex edicto in ius vocari non debuerit, nec potuerit, pro vt ſunt illi de quibus ſuperiori
2 titulo diximus, hoc edicto non tenebitur, & quia nec etiam huiuſmodi edicto tenetur is, qui ſe iudicio ſtaturum ſatiſdederit, aut cauerit, ideo ſubijcitur Tit.

In ius vocati vt eant, aut ſatis vel cautum dent.

Tit. VI.

2 *In ius vocatus aut ire aut ſatis dare, vel cauere debet.*
2 *Pro neceſſarijs perſonis qualiſcunque fideiuſſor accipitur.*

IN ius vocatum Prætor, aut ire, aut ſatis dare, vel cauere iubet, fideiuſſoribus iudicio ſiſtendi cauſa datis, qui pro rei qualitate locupletes ſint l. 1. a qua tamen regula exci-
1 piuntur neceſſariæ perſonæ, veluti, parentes, patroni, liberi, vxores & nurus eorum, pro quibus qualemcumq;
2 fideiuſſorem neceſſarium accipi Prætor iubet d.l. 1.2.& 3. pręſumitur enim pro neceſſitate ſāguinis quod neceſſarius neceſſarium illaqueatum non ſinat, ut dicit glo. in d. l. 2. & ſi quis duos ſiſti promiſerit, & alterum tantum exhibuerit, eos ſtetiſſe non videbitur, l. vlt. & quia populari more olim permiſſum erat, eum qui in ius vocatus, neque ire, neq; ſatiſdare vellet, inuitum rapere interdumque contingebat, vt propinqui, & amici in ius vocatorum, eos è manibus vocantium eriperent, atque eximerent propterea pœnali iudicio prouidetur, ne ita raptum quis vi eximat, nec aliquo modo faciat quominus in iudicium veniat, vt in Titulo.

Ne

Digitized by Google

Ne quis eum qui in ius vocabitur vi eximat.

Tit. VII.

1 *Quid ſit eximere, & quæ ſit pœna eximentis.*
2 *Et quid ſi concurſus factus ſit.*
3 *An ceſſet pœna ſi eximatur is qui in ius vocari non poteſt.*
4 *Et quid ſi ad Pedaneum iudicem vocetur.*

EXimere videtur nō ſolum qui manibus eripuit, ſed etiam qui quoquomodo, vel per ſe, vel per alium facit, quominus in ius eatur l.4.& 5.qui,& condemnabitur,quan-
1 ti ea res, de qua controuerſia eſt, ab Actore eſtimabitur d. l.5.& ſi fortè concurſum,& cœtum fecerit, quominus quis in iudicium producatur, etiam lege Iulia de vi priuata te-
2 nebitur l.4.ff. ad l. Iul. de vi priuat. & hoc etiam ſi quis calumniandi animo litem inſtituerit d.l.5.nam,non ius actoris, ſed factum eximentis contra popularem legem Prætor reſpicit, & ſi plures ſint qui deliquerint in ſingulos hoc iudiciū dabitur, manente nihilominus eo qui exemptus eſt, obligato d.l.5.§.fin.& vlt.Hęredibus autem ita datur ſi eorum interſit, ſed neq; in hæredem, nec poſt annum datur
3 d.l.5.in fine.Ceſſat tamen hæc actio, ſi perſona, quæ in ius vocari non poterat, exempta ſit, cum in hoc caſu, magis quis vocauit, delinquat, quam qui exemit l. 1. & 2. Idem eſt,& in eo, qui, alio quam quo debuerat, vocatus fuit d.l. 2.Item, & in eo, qui licet exemptus eſſet, in ius nihilominus productus fuit,nam verba con effectu accipi debent d. leg. 5.§.docere. Quin, & ſi quis, eum, qui ad pedaneum
4 Iudicem vocatus ſit, eximat, pœna ſimiliter huius edicti non tenebitur l. 3. Verum quia ſępè euenire ſolet,vt vocatus, licet veniat ad iudicium, non tamen perſiſtat vſq; ad finem litis, ideo curatur eo nomine ſatiſdari, vel aliter caueri pro qualitate perſonarum in Titulo.

Digitized by Google

Qui ſatiſdare cogantur, vel iurato promittant, vel ſuæ promiſſioni committantur. Tit. VIII.

1 *Qui teneantur ſatiſdare datis fideiuſſoribus.*
2 *Qui iurato promittant, vel ſua promiſſioni committantur.*

OLim, ille, qui in ius vocatus erat, ſatiſdare iudicatum ſolui cogebatur, tam in actione in rem, quam in perſonam vt in §. 1. Inſtit. de ſatiſdat. ſed hoc poſtea abolitum fuit, & ſatiſdatio de iudicio ſiſti, vt ſcilicet, in iudicio ſe pręſentet, dari ſolita fuit vt in d. §. 1. & §. ſed hodie. Quinimo hodie etiam hęc ſatiſdatio iudicio ſiſti non datur, niſi in criminalibus vt tradit Rebuffus hic in principio Tituli. Non tamen omnes vno modo cauent, nam
1 alij ſatiſdare coguntur datis fideiuſſoribus, qui ſint idonei non ſolum ex facultatibus, ſed etiam ex conueniendi facilitate vt in l. 1. & 2. Alij, qui fideiuſſores inuenire non poſſunt, ne paupertas illis impedimẽto, ſit quominus ius ſuum proſequi valeant, iureiurando relinquuntur, vt illud pro ſatiſdatione præſtent l. vlt. h. t. & l. 1. §. omnes, C. de Aſſert. tollend. ſicut & illi, qui in dignitate conſtituti ſunt l. pen.
2 C. de Dignitat. lib. 12. Alij, qui immobilla poſſident, etiam nuda promiſſione relinquuntur l. pen. h. t. & ſi agatur pro ſeruo, quomodo etiam talis cautio præſtari debeat, habetur in Titulo.

Si ex noxali cauſa agatur quemadmodum caueatur. Tit. IX.

1 *In noxali cauſa qualiter caueatur.*
2 *Seruus litigioſus alienari nõ poteſt.*

Si quis

SI quis eum, de quo noxalis actio eſt, iudicio ſiſti promiſſerit, in eadem cauſa eum exhibere debet, in qua tunc erat cum iudicium acceptum fuit l. 1. & hoc, quia ſi poſt ſa-
1 tiſdationem alienaretur, aut in potentiorem, aut in eum, qui in foro promiſſoris conueniri non poſſet, cum noxa caput ſequatur, prior dominus ſatiſdatione ad nichilum recidente, liberaretur, atq; hoc modo ius actoris deterius
2 efficeretur l. 2. quod quidem procedit, donec iudicium accipiatur, vt dicitur in d. l. 1. per dominum nomine ſerui, & lis con eo conteſtetur, nam ſi lis fuerit conteſtata, non poteſt amplius ſeruus, vt pote litigioſus à domino alienari l. 2. C. de litigioſ. & quia etiam ille, qui impedit aliquem iudicio ſiſti, coerceri ſolet, ideo ſubijcitur Tit.

De eo per quem factum erit quominus quis in iudicio ſiſtat. Tit. X.

1 *Ad quid teneatur is per quē factum fuerit quominus quis in iudicio ſiſtat.*
2 *Differentia inter hunc Titulum, & Titulum. Ne quis eum qui in ius vocab. vi eximat.*

QVoniam effectus ſatiſdationis eſt, ut ſiue per alium, ſiue culpa promittentis, iudicio ſtatum non ſit, pęna committatur, ideo ſi quis doloſe impediat aliquem iudicio ſiſti, Prætor ad eius dolum coercendum, ad-
1 uerſus eum in factum actionem concedit, in qua venit id quod intereſt actoris ſtatum non eſſe, hoc eſt, id quod in iudicio petitum eſt, etiam ſi fideiuſſor minorem ſummam promiſerit. Vnde ſi petam à Titio centum, & à fideiuſſore quinquaginta ſtipulatus ſim ſi in iudicium non veniat, & dolo Caij factū ſit, ne Titius veniat, centum a Caio cōſequar, quia tanti mea interfuiſſe videtur, quoniam ſi veniſſet, actio in centum mihi aduerſus Titium fuiſſet l. vlt. Do-

Digitized by Google

lo autem feciſſe videtur, non ſolum is qui ſuis manibus, vel per ſuos retinuit, ſed etiam, qui rogauit alios, vt eum detinerent l. 1. §. 1. vel ei aliquid triſte, vt pote, vitæ periculum. mortem filij, patris, aut quid aliud ſimile pronunciauerit, propter quod neceſſe habuerit ad iudicium non venire d.l. 1. §. 1. & competit hæc actio non ſolum actori, ſed etiam reo, quatenus eius intereſt pœnam non committi, ſi ab alio, ſcilicet, impeditus ſit, ſecus ſi ab ipſomet actore, nam tunc contentus eſſe debet exceptione, ſi ex ſtipulatu cõueniatur ad pœnam quod non venerit d. l. 1. §. ſi reus; & ſi plures dolo fecerint, omnes tenentur, at ſi vnus præſtiterit pœnam, cęteri liberantur d.l. 1. §. ſi plures; & ſi ſtipulator dolo Titij, & promiſſor dolo Męuij impeditus fuerit, quominus in iudicio ſiſtatur, vterque aduerſus eum, cuius dolo impeditus fuit, actionem in factum exercebit d.l. vlt. §. ſi & ſtipulator. At ſi ſtipulator dolo promiſſoris, & promiſſor dolo ſtipulatoris, impeditus fuerit, neutri eorum Prætor ſuccurrit ab vtraq; parte dolum compenſando d.l. vlt. §. ſi & ſtipulator. Hæredi etiam datur hæc actio, ſed nõ vltra annum, in hæredem vero eatenus datur, vt ex dolo defuncti non lucretur d. l. 1. in fine.

Et Dominus ex facto ſerui, ſi ſciens fuerit, in ſolidum ſin minus noxali actione tenetur l. 2. ex quibus conſtat differen-
2 tiam eſſe inter hunc Titulum & illum. Ne quis eum qui in ius vocabitur, vi eximat. Nam illo coercetur vis, iſto Dolus ex illo agit tantum is, qui in ius vocauit, ex iſto etiam ille qui vocatus eſt. Item ex illo agitur quanti in litem iuratum fuerit, ex iſto ſolum ad intereſſe ibi ſinguli delinquentes in ſolidum tenentur nec ſolutio vnius liberat alios, hic omnes quidem tenentur at ſolutio unius liberat alios, & ſic durior ibi pœna eſt propter præbitam ſeditioni, ac concurſionibus materiam, & ius publicum uiolatum, quod non eſt in iſto, ubi utilitas, & intereſſe tantum actoris priuatum conſideratur. Verum ſi non alius impediat, ſed ipſemet litigator ſit, qui cautionibus non obtemperet, committitur ſtipulatio tam aduerſus ipſum, quam etiam eius fideiuſſores, ut in Titulo.

Si

Digitized by Google

Si quis cautio nibus iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit.

Tit. XI.

1 *Pœna non obtemperantis cautionibus iudicio ſiſtendi cauſa factis.*
2 *Quando ceſſet talis pœna.*

SI litigator, cautionibus iudicio ſiſtendi cauſa factis, non obtemperet, in pœnam incidit promiſſam, & committitur ſtipulatio, tam aduerſus eum, quam etiam eius fide-
1 iuſſores, & ſi certa quantitas comprehenſa fuerit in ſtipulatione, ad illam certi condictione, ſin autem ſimpliciter, incerti condictio ad id quod intereſt, agetur, æſtimatione habita ad tempus, quo ſiſti promiſſor debuit, non quo agitur, quamuis deſierit actoris intereſſe l. 12. excuſatur tamen
2 ſi teſtimonij ferendi gratia coactus fuerit ad aliud iudicium accedere, vel publico munere, valetudine, tempeſtate, vi fluminis impeditus fuit, aut alijs iuſtis cauſis detentus de quibus in l. 2. 4. 6. & 8. & ſi quis promittat ſiſtere aliquem abſentem, pro qualibet die 20. milliaria dantur, non computato cautionis die d. l. 1. & quia etiam feriæ, & dilationes venientem in ius excuſant, ideo ſubijcitur Tit.

De Ferijs, & Dilationibus, & diuerſis temporibus. Tit. XII.

1 *Quid ſint feriæ.*
2 *Quot ſint feriarum genera.*
3 *Qui ſint effectus feriarum.*
4 *Quid ſit dilatio.*

QVID SINT FERIÆ.

FEriæ ſunt dies feriati, quibus, nec ius dicitur nec ſui poteſtatem magiſtratus facit l. 5. & olim iuſtitium dicebantur, eo quod tunc ius ſtaret Gell, lib. 20, cap. 1.
1

Quot

Quot ſint feriarum genera.

Feriæ aliæ ſunt ſolemnes, aliæ indictæ, & aliæ repentinæ; ſolemnes ſunt, quæ ob cultum diuinum ſolemniter cele-
2 brandum conſtituuntur l. omnes dies, & l. fin. C. Eod. & Tot. Tit. extra Eod. Indictæ quæ colligendorum fructuum cauſa indicuntur l. 1. h. t. Repentinæ, quæ Princeps, ob publicam gratulationem, vel ob res proſpere geſtas, extra ordinem, repente & ſubitò indicit, ac denunciat l. 1. & 4. C. Eod. l. 24. §. ſi feriç infra Ex quibus cauſ. maior.

Qui ſint effectus feriarum.

In omnibus prædictis ferijs, lites, & forenſes controuerſiæ ceſſare, nec aliqua, quæ ad contentioſam iuriſdictionem pertinent, tractari debent l. 1. & 6. niſi conſenſu partium tractentur d. l. 1. & 6. quod tamen intelligi debet in ferijs in
3 dictis litigatorum gratia, vt puta, meſſium, & vindemiarum, ſecus in ſolemnibus, aut repentinis, quibus, a priuatis renunciari nequit, cum nec priuatorum cauſa indicantur, c. fin. extra Eod. l. ſi feriatis infra de Arbitr. Excipiuntur tamen certe cauſæ, quas neceſſitas, aliave iuſta cauſa tractandas eſſe ſuadet de quibus in l. 1. 2. & 3. item excipiuntur, & ea quæ ad voluntariam iuriſdictionem pertinet, vt emancipare], manumittere, teſtamenta condere, inſtrumenta celebrare, & alia ſimilia facere l. 2. & 8. C. Eod. item, & quæ ad diſciplinam militarem ſpectant. l. 9. h. t. Quare & ſtudere ſcholaſticos poſſe, vel veteri prouerbio admonemur. Qui non ſtudet in feſtis, parum ſcit in Codice, & minus in Digeſtis. Appellari etiam die feriato poteſt, non tamen appellationis cauſa tractari l. 1. C. Eod. item et teſtes examinari dummodo die non feriata iurauerint ſpeculat. de Ferijs in §. ſequitur nu. 6.

QVID SIT DILATIO.

Dilatio eſt diei prolatio, quæ tam actori, quam reo, ex varijs cau-

Digitized by Google

cauſis concedi, & modo longior, modo breuior pro locorum interuallo dari ſolet l. 7. h. tit. l. 1. & vltim. C. de Dilation. quo in tempore, & ferias computandas eſſe conſtat l. 3. C. Eod. Tit. Dies, more Romano a media nocte incipit, & media noctis ſequentis, parte finitur l. 8. & hic dicitur ciuilis dies. Eſt, & dies naturalis, qui incipit ab ortu, & durat vſq; ad occaſum ſolis, & dies eccleſiaſticus, qui incipit ab occaſu ſolis, & in ſequentem occaſum finit cap. vlt. extra Eod. Tit. de Ferijs.

Reſtat vltima pars Tituli, de Diuerſis temporibus, de quibus licet Tit. polliceatur, attamen non magis hoc præſtat, quam fecerit Tit. ſeptimus libri primi, de alijs modis ſoluendæ patriç poteſtatis.

Verum, ſi neq; propter ferias, neq; propter dilationes quis excuſatur, quominus ad iudicium veniat, proximum eſt, vt Reo ad iudicium vocato, & ſui copiam faciente, Actor actionem ſuam edat de qua in Titulo.

De Edendo. Tit. XIII.

1 *Quid ſit edere.*
2 *Quid actor edere debeat.*
3 *Reus an edere teneatur.*
4 *Differentia inter editionem actionis rationum, inſtrumentorum, & actorum.*

QVID SIT EDERE.

EDere varias habet ſignificationes, ac multis modis accipitur, ſed in propoſito noſtro, edere nihil aliud eſt, niſi copiam deſcribendi aduerſario facere, vel in libello cōplecti, dare, ſeu dictare l. 1. §. edere & l. 6. §. edi. Edere eum quoque Labeo ait, qui producit aduerſarium ſuum ad album, & ibi demonſtrat quid dictaturus ſit, ſeu, vt legit Cu-
1 iac. obſeru. lib. 8. cap. 15. ex quo edicto acturus ſit. Antiquitus enim Actor producebat aduerſarium ſuum ad album prætoris, in quo actionum formulæ deſcriptæ erant, vt ibi oſtenderet, ex qua actione agere volebat, ſeu qua actione

vſurus

vſurus erat. Sic Aſconius Pedianus ſcribit, Siculos, priuſquã Verrem repetundarum crimine accuſarent, à Marco Cicerone ad Senatum perductos, & ſenatuſconſultum factum fuiſſe, vt Prætor ad ſe delatum Verrem in albo ſuo palàm legendum proponeret, vt inde cognoſceret decretam eſſe pro Siculis in eum accuſationem. Dixit, ſenatuſconſultum factum fuiſſe, quia regulariter Prætor nonniſi cauſarum ciuilium cognitionem habebat.

Quid Actor edere debeat.

Debet igitur Actor ante omnia, Reo ad iudicium vocato, actionem ſuam libello comprehenſam, offerre, atque edere ad hoc vt Reus ipſe, intelligere poſſit, an ſibi cedendum, 2 vel contendendum ſit, cognita actione, qua conuenitur l. 1. h. t. auth. offeratur, C. de lit. conteſt. Item & inſtrumenta, & rationes ſuas quibus in iudicio contra Reum vti vult, Actor edere debet d. l. 1. §. edere h. t. l. 5. 6. & vlt. C. Eod. & inſtrumenta edi debent tota, excepto tamen, die, & Conſule, qui ideo tacentur, ne quid fraudis prolato, vulgatoque, ſeu vt alij legunt prælato die, contra inſtrumentum excogitetur d. l. 1. §. editiones. Fallit, ſi aliter deliberari non poſſet, quàm die, & Conſule editis, vt in Bartoli exemplo creditorum inter ſe contendentium, quod & alij ſequuntur. Rationes autem con die, & Conſule edi debent, quia aliàs, data, & accepta apparere non poſſent d. l. 1. §. rationes, & inſtrumentis à me in iudicio editis, aduerſarius etiam contra me vti poterit; etiam ſi proteſtatus fuerim, me in parte, & partibus, & eatenus edere, quatenus pro me faciant, & non vltra. Salic. Paul. & Iaſ. in d. §. editiones, Bald. & Alex. in l. 1. C. vt quæ deſunt aduocat. Sanè iudex hoc non ſupplebit, eritque in hoc proteſtatio non inutilis, quæ Zazij noua declaratio eſt num. 42. quam & Oroſcius ſequitur num. 8.

Reus an edere teneatur.

Reus autem è conuerſo non tenetur edere Actori, rationes, & inſtru-

inſtrumenta ſua, quibus in iudicio vti non vult l. 1. C. Eod. & ratio eſt, quia non debent ſumi arma à domo aduerſarij l. nimis graue, C. de Teſtib. ſed qui agit probationes habere debet, aliàs Actore non probante, Reus etiam ſi nihil præſtiterit abſolui debet l. qui accuſare, C. Eod. Fallit in Fiſco agente, cui editio fieri debet, eorum inſtrumentorum, quæ ad cauſam pertinent l. 3. h. t. Idem erit in Eccleſia dote, & alimentis, quæ fiſco æquiparantur, l. 2. C. de Priuileg. fiſc. in cauſa libertatis matrimonij, ſtudij, & vbicumque publica verſatur vtilitas Io. Andr. Panormit. Dec. & alij in cap. 1. de Probat. Item fallit in vſurario, qui tenetur edere Actori etiam ſi Reus ſit Clem. 1. §. cæterum de vſur. In eo qui ſemel edidit, nam iterum edere cogendus erit l. fin. C. de Fid. inſtrum. in argentarijs, nummularijs, & ſimilibus, qui mandato partis, ſcripturas faciunt l. 4. 9. & 10. h. t. Argentarij maiorem quam Nummularij negotiationem habebāt, Nummulariorum enim officium erat, ſicut Campſorum, ſed nō erat publicum, ſicut argentariorum. nam Argentarij nummos fœnori, & ſuos & aliorum collocabant, item auctionibus, & venditionibus, quæ in publico fiebant, præerant, contractuſque apud eos celebratos, eorum Calendarijs inſcribebant, quod hodie Notariorum eſt, quibus & non abſimiles eſſe, Iaſ. tradit in d. l. 4. & Alciat. Parerg. iur. lib. 8. cap. 19. Acta autem iudicialia omnia petentibus partibus, hinc inde edenda ſunt d. l. 1. §. edenda l. 2. C. Eod. exceptis interrogatorijs, ne detur materia ſubornandi teſtes Gloſſ. in c. 2. de Teſtibus lib. 6. Alex. & Dec. in d. l. 2. item poſitionibus, quarum copia edi non debet ei, qui debet reſpondere antequam reſpondeat Dec. poſt Bart. & Bald. in d. l. 2. Allegationes autem iuris & ipſas edendas eſſe crederem cum Iaſone, & Zazio in d. §. edenda, quicquid in contrarium tētet Dec. in d. l. 2. Differentia tamen eſt inter editionem a-
4 ctionis, rationum, inſtrumentorum, & actorum. Nam editio actionis fit, vt aduerſarius inſtrui poſſit de futura litis ſpecie, ac inſpecto iure actoris, deliberare, an cedendum, vel contendendum ſit, & ſi contendendum putet, vt veniat inſtructus ad reſpondendum l. 1. h. t. & l. 3. C. Eod. At editio

Digitized by Google

rationum, inſtrumentorum, & actorum, magis fit ad inſtruendam probationem, l.9. §.nummularios, verbo quarum probatio, & l.10.verbo, ad inſtruendum h.t. vel fundandam intẽtionem, aut exceptionem l.5.6. & vlt. C. Eod. quàm ad ſpeciem litis declarandam. Quod ſi editio nõ fiat ab eo qui edere tenetur, actio in factum aduerſus eum datur ad id quod intereſt l.6. §. ex hoc edicto: ac etiam pronunciare poterit iudex, quod talibus rationibus, & inſtrumentis amplius, & in perpetuum fides non detur, Innocent. & Canon. in cap.G. perpetuus de Fid. inſtrum. Bart. & Iaſ. in d.§.edenda.

Edita actione, omniq́ue iure, atque inſtrumentis Actoris Reo communicatis, ſępenumero fit, vt Reus, cognito iure Actoris, ac proinde de euentu litis dubitare incipiens, paciſci magis, aut tranſigere velit, quam litis exitum, qui dubius eſſe dicitur l.quod debetur 52. ff.de Pecul. experiri; ideo rectè poſt Titulum de Eden. ſubijcitur Tit.

De Pactis. Tit. XIV.

1 *Vnde dictum ſit pactum.*
2 *Quid ſit pactum.*
3 *An pactum, & conuentio idem ſint.*
4 *Pactum, & Pollicitatio in quo differant.*
5 *Quot ſint pactorum genera.*
6 *Quæ ſint tacita pacta.*
7 *Quæ ſint pacta nuda.*
8 *Pacti nudi exempla.*
9 *Qui ſint effectus nudi pacti.*
10 *Quare ciuilis legiſlator pacta inefficacia reliquerit.*
11 *Dari exceptionem ex nudo pacto quomodo intelligatur.*
12 *An, ex nudo pacto oriatur naturali obligatio.*
13 *Et an de iure canonico etiã ciuilis oriatur.*
14 *Quæ ſint pacta veſtita.*
15 *Pactum de futura ſucceſſione improbatur.*
16 *Item, & pactum de quota parte litis.*

[1] AD Edictum de Pactis propoſitum a Prætore in l. iuriſgentiũ 7.§.prætor ait, interpretaturus Vlp. in l. 1. more ſuo ſolito ab ipſius commendatione auſpiciatur, dum ait, huius edi-

edicti naturalem eſſe æquitatem,nec aliquid tam congruũ humanæ fidei , quam ea ſeruare, quæ inter partes placuerunt.

Vnde dictum ſit Pactum.

Pactum a pactione dici , & inde pacis nomen appellatum eſſe in eadem l.1.habetur: quaſi ex pactis ſeu pactionibus
1 pax cõficiatur l.in bello in principio ff.de capt. & poſt lim. reuerſ. Accurſius in eadem l.1.pactum etiam dici a percuſſione palmarum putat, ex cuius dicto fluxiſſe auguror illam conſuetudinem, vt paciſcentes mutuo ſibi manus porigant, hancq; percuſſionem originem traxiſſe ſuſpicor ab illo antiquiſſimo fœdere,quod olim inter Romanos, & Albanos percuſſum fuiſſe refert Liuius ab Vrbe condita li.1. Decad.1.

QVID SIT PACTVM.

Pactum deffinitur in eadem l.1.vt ſit duorum, pluriumve in idem placitum, conſenſus, ita legitur in pandectis florentinis,& placitum ante ponitur quam conſenſus, quia oportet prius ea quæ proponuntur placere antequam in conuentionem redigantur.& in l.3.ff.de Policitat. pactum dicitur duorum conſenſus,atq; conuentio. Atq; ita idem videtur eſſe pactum quod conuentio Cuiac. obſeru.lib.2.ca. 15.Conuentio enim eſt id quod conuenit, & id quod conuenit pactum eſt Cic.lib.2.de inuent.pro Cæcin.& alibi pactum inquit eſt, quod inter aliquos conuenit promiſcueque his vocabulis vtuntur iuriſconſulti vt patet in l.inter §. conuenit ff.de Pact.dotal. & in l.cum dos ibidem dicitur, pactum conuentum facere, quod eſt pacto conuenire in l. fin.Eod. Tit. item pactum conuentum idem eſt quod pactum initum, & factum, & emphaſim habet, quaſi velit dicere, I.C.pactum conuentum, ideſt, pactum concluſum inter partes Tot.Tit.C.de Pact.conuent. & putat Duar.pacta conuenta vocari, eo quod nullis legibus Romanis confirmentur(paucis quibuſdam exceptis) ſed ex conuentu ip-

Digitized by Google

ſo ſolo per tuitionem Prætoris, valeant, quod nobis etiam ſignificare voluiſſe, videtur I. C. in dicta lege iuriſ-
3 gentium, dum dixit, ait Prætor, pacta conuenta ſeruabo. Eſt tamen generalius nomen conuentio, quam pactum nam conuentio ad omnia, pertinet de quibus negocij contrahendi, tranſigendiq; cauſa conſentiunt qui inter ſe agũt nam ſicut conuenire dicuntur, qui ex diuerſis locis in vnũ locum colliguntur, & veniunt, ita qui ex diuerſis animi motibus in vnum conſentiunt, ideſt, in vnam ſententiam decurrunt d.l.1.§.conuentionis. Non ſic pactum ſe extendit ſed vbi ſunt conuentiones, quibus proprium nomen, ac ſpeciale datum non ſit, vocabulo ſatis lato, & generali pacta appellantur vt tradit Duar. hic, & ſic in hoc pactum a con-
4 uẽtione differt. Differt etiam pactum a pollicitatione quia Pollicitatio eſt ſolius offerentis promiſſio d. l. 3. ff. de Pollicitat. ſed cùm is cui aliquid offertur tacens conſentire præſumatur l. qui patitur ff. Mandat. quibuſdam videtur inter præſentes pactum magis, quàm pollicitationem dici; quibus ego minimè aſſentior, nam non continuo is qui tacet, offerenti conſentire intelligitur, cum fortaſſis è re ſua id nõ futurum eſſe credat, aut beneficium accipiendo (vt ait Publianus) libertatem vendere nolit quin; etiam ſi præſens offerentis promiſſum acceptet, adhuc tamen quicquid DD. iactent, non erit pactum; quia non eſt conuentio duorum, ſed per illam acceptationem, & ratihabitionem, valebit quidem acceptatio vt pactum, tamen non erit pactum, id eſt, conuentio duorum, ſed tanquam pactum. valebit ratione conſenſus poſteà ſuperuenientis vt tradit Rebuffus in l. 1. nu. 8. h. t. Item differt, quia pacto cuilibet, pollicitatione verò, non niſi, Rei P. Ciuitati, Eccleſiæ, Collegio, pauperibus, & alijs id genus cauſis, obligari poſſumus, obligamurque ita demum ſi iuſta cauſa ſubſit, aut opus cœptum fuerit l. 1. §. 1. & §. cœpiſſe Eod. Tit. de Pollicitat.

Quot ſint Pactorum Genera.

Pacta, alia ſunt expreſſa, & alia tacita; expreſſa ſunt, cùm verbis

Digitized by Google

bis declaratur paciſcentium voluntas tacita, cùm voluntas
6 eorum verbis non expreſſa, ex coniecturis tantùm colligitur.

Quæ ſint tacita Pacta.

Exemplum taciti pacti habemus in creditore reddente cautionem debitori ſuo, nam tacite paciſci videtur ne pecu-
2. niam petat l. 2. ſecus ſi reddat pignus quia per hoc non cenſetur remiſſum debitum l. 3. Sic in ſimili videmus quod chirographo debitori legato, cenſetur legata liberatio, at pignore legato non cenſetur legatum debitum, niſi alia fuerit teſtatoris uoluntas l. 1. & 3 ff. de liberat. legat. Et differentiæ ratio eſt, quia pignus eſt acceſſio quædam principalis obligationis, ſicut fideiuſſio, ideo ſicut fideiuſſore liberato non propterea liberatur principalis debitor l. 23. h. tit. ita reddito pignore non extinguitur principalis obligatio cuius acceſſio quædam eſt pignus. At reddito chirographo extinguitur principalis obligatio, quia chirographum principalem continet obligationem, ita Cuiac. hic. Alia etiam ratio eſſe poteſt, quia redditio chirographi nullius eſſet momēti, ſi non intelligeretur remiſſum debitum, at redditio pignoris operatur, quod uſus præſtitus cenſetur l. certe §. fin. ff. de Præcar. Quinimo creditores lege diuina expreſſe iubebantur quorundam pignorum uſum indulgere pauperibus debitoribus ut Deuteron. cap. 24. habetur; ideo mirum non eſt, ſi hoc caſu non liberetur.

Aliud exemplum taciti pacti habemus in l. 4. de rebus inuectis & illatis in prædium vrbanum, quæ tacite intelliguntur hypothecate tam pro affictu, quam pro deterioratione fundi ſecus tamen eſt in prædijs ruſticis l. certi iuris C. locat. & Ratio differentiæ eſt, quia in ruſtico fructus qui naſcuntur ſunt tacite obligati etiam ſi nihil conuentum ſit l. in prędijs ff. in quibus cauſ. pign. vel hipoth. tacit. contrahit. At in vrbano cum nulli fructus naſcantur ratio excogitata eſt, qua domino conſulatur, vt ſcilicet, inuecta, & illata ſint tacite hipothecata, Atq; hinc facile conciliare poſſumus

con-

contrarietatem, quę videtur eſſe inter Vlpian. & Paul. I.C. nam Vlp. in l. ſolutum §. ſolutam ff. de Pign. act. ſcribit, inuecta, & illata a ſecundo conductore eſſe obligata domino non in totam ſummam, ſed in eam tantum pro qua condu xit, At Paulus in l. ſi in lege §. ſi colonus ff. Locat. ſcribit, inuecta, & illata a ſecundo conductore non eſſe domino obligata; Reſolutio eſt, quod Vlp. loquitur in fundo vrbano, Paulus in ruſtico.

Altera, & ſecunda pactorum diuiſio eſt, quod Alia ſunt nuda, & alia veſtita: quæ appellatio licet Doctorum magis, quam legis ſit, apta tamen tenendaq; eſt, quicquid in eam recentiores tentent.

Quæ ſint Pacta nuda.

Pacta nuda dicuntur illa, quæ ſtant in nudis, puris, ac ſimplicibus finibus conuentionis, & in quibus nulla ſubeſt cauſa, & quæ nihil habent præter ipſam conuentionem; Di-
7 cunturq; nuda, quaſi deſtituta a quo vim ſummant. Verg.

Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

quo etiam modo, nuda proprietas dicitur, quæ eſt ſine fructu vt in Tit. de Vſufruct. nuda traditio, quæ cum cauſam non habeat, non transfert dominium l. nunquam nuda, ff. de Acquir. rer. domin. nudum nomen hæredis quod eſt ſine hæreditate. Sic & nuda pactio, cōuentio, quę eſt ſine obligatione, hoc eſt, quæ præter conſenſum nihil habet. Vnde & deffinitur in l. 1. vt ſit duorum, pluriumve in idem placitum, conſenſus, hoc eſt, nihil aliud quam conſenſus. Quoties igitur, Iuriſconſulti pactum dicunt, eam conuentionem intelligunt, quæ non eſt contractus, non quod ex latini nominis ratione, pacti appellatio latius protendi nequeat, ſed quia in re tam varia, lateq; patente commodius fuit, ſingulas res ſingulis appellationibus deſignare, & ideo Tituli de Pactis, in Pandectis, & Codice de Pactis nudis ſunt.

PA-

PACTI NVDI EXEMPLA.

Pacti, ſeu pactionis nudę exempla multa colligi poſſunt in libris noſtris, eiuſmodi eſt conuentio, Do, vt Des, Do, vt facias, & ſimiles ante implementum vt conſtat ex d.l.iuriſ
8 gentium §.ſed cum nulla, item placitum diuiſionis l. 45.h. tit.placitum permutationis l.ex placito C.de Rer. permut. pactum de litigando coram iudice non ſuo l. ſi conuenerit ff.de iuriſdictio.omn.iudic.& id genus alia multa.

Qui ſint Effectus nudi pacti.

Effectus pacti nudi ſeu nudæ pactionis eſt, vt non pariat actionem ſed exceptionem d.l.iuriſgentium,§.ſed cum nulla intelligite regulariter, nam, & interdum actionem parit, vt
9 ſi ſit legitima, ideſt, lege aliqua confirmata l.6.h.t.quędam enim ſunt, quæ licet conſenſu gentium non ita probentur, vt ad obligandum valeant, tamen iure ciuili, ideſt, Romano, obligationem pariunt, & ideo dicit I. C. in d.l.6. quod interdum ex pacto actio naſcitur, vel tollitur, quoties lege, vel Senatuſconſulto adiuuatur. Exempla actionis natæ varia affert Accurſ.ibi; Vnum de pacto nudo donationis l.ſi quis argentum §.fin.C.de Donat.in quo Accurſium Bart.& cæteri reprehendunt, cum non ex pacto a lege confirmato, ſed ex lege propter pactum actio naſcatur, quod quidem multum intereſt l.etiam ff. de Vſur. & d.l.ſi quis argentum §. fin.ſed vt hæc communia fateamur, non immerito tamen quibuſdam plus nimio ſcrupuloſa uidentur. Alterum exemplum affert in Dote, quam nudo pacto promiſſam lex confirmat l.ad exactionem C.de iur. dot.ſed dotis promiſſionem conuentionem legitimam propriam eſſe, Bartoli,& omnium cōſenſu receptū eſt in Rub. ſol.mat. Alia exēpla afferri ſolent, in eo qui nudo pacto aduocato ſalariū promitit l.1.C.de ſuffragio, aut qui uerior eſt ſēſus Zazij in l.2.§.ijſdē ff.de Orig.iu.&Alc.in l.ſi creditori C.de Pac.in eo, qui pacto nudo ei promiſit, quo interceſſore deſideria ſua a principe explicari uult. In acceſſione tritici,

ci, uel hordei per pactum nudum promiſſi l. frumenti C. de vſur. & in vſuris, quæ ciuitati ex nudo pacto debentur l. etiam ff. de vſuris.

Actionis verè natæ, quæ pacto nudo tollitur, exempla hæc ſunt cum actiones ex maleficijs deſcendentes pacto tolluntur l. 17. §. quędam h. t. cum creditor mulieri, aut filiofamilias, pactum de non petēdo facit, neq; enim tunc Velleiani Macedonianive exceptionibus opus eſt, ſed ipſo iure tuti ſunt, cum inter hæredem, fideicommiſſariumq; conuenit, vt alter ſolus hæreditaria onera ſubeat; quæ exempla, Bartolo reclamante, merito recipiuntur. Addit Accurſ. & aliud de acceptilatione, ſed hoc, vt Bart. notat ad conuentionem legitimam propriam magis ſpectat.

Parit igitur, exceptionem pactio nuda, non actionem, ſed an iure ciuili; An prætorio? Alciat. in l. 1. C. de Pact. putauit iure ciuili a Prętore confirmato, quod doctis omnibus merito diſplicuit. Verius enim eſt, iure ciuili nullius eſſe momenti, pactum, pactum inquam hoc, quod Prætor ſe ſeruaturum pollicetur in d. l. 7. §. ait prætor. Quam ob rem autem, ciuilis legislator pacta inefficacia reliquerit; Ratio illa reddi poteſt, quod is exiſtimauerit non fore ex populi vtilitate, conſtituere, vt ex quibuslibet promiſſis homines
10 teneantur, ne veluti verbum plagis illaqueari viderentur magnum .n. fortunis omnium videbatur imminere periculum, ſi quocunq; dicto, aut promiſſo tenerentur homines. Et ſanè iuſtum fuit etiam, aliquid honeſtati cuiuſq; & liberalitati relinquere, & non omnia ad neceſſitatem obligationis reuocare atq; exigere. ſicq; ſat conſultum fore populo putauit legislator, ſi modus quidam contrahendæ obligationis, verbo induceretur, in quam rem ſtipulationem induxit, quaſi ita commonito populo, vt ſi tuto negotium gerere vellet, id faceret per ſtipulationem. Quod etiam ſtipulationis ius, quoniam magnum videbatur generare periculum, inducta, ſcilicet, obligatione verborum, quæ facile, neq; ſemper ſatis conſiderate labuntur, interpretationibus quibuſdam adhibitis, prudentes compoſuerunt, quæ efficerent, vt non ita facile ſtipulatio contracta diceretur, qua

de

Digitized by Google

de re Vlp. in l. 1. ff. de Verb. oblig. & DD. noſtri tradunt, non ex qualibet interrogatione, & reſponſione induci ſtipulationem, cui conuenit illud Varronis, non quicunque ait, ſpondeo, obligatur ex ſponſo. Non agnouit igitur pactiones nudas ciuilis legislator Prætor tamen agnouit, pro ea poteſtate quam habuit iuris ciuilis corrigendi, hactenus, vt exceptionem daret. Sed cur non & actionem? quidam putant, quia ius ciuile non potuit tollere Prætor, quod non probo, nam & interdum ex pactis actionem dat Prætor, vt de conſtituta pecunia, & hipothecariam. Probabilius igitur erit dicere, exceptionem ex pactis dandam exiſtimaſſe Prætorem, eo quod, id conueniret, rationi, & æquitati naturali magis, quam dare actionem, cum fauorabilior ſit cauſa excipientis, quam agentis; Dat autem, & interdum actionem, vt de conſtituta, & hipothecariam, eadem ęquitate nihil reclamante; Neq; enim cum ita facit Prætor, obligationem inducit, ſed iam conſtitutam, & natam ſeruat, quæ tamen ob iuris ciuilis aſperitatem, vires ſuas, non exercet. Dari autē exceptionem ex pactis nudis exponendum eſt, vt ſcilicet, tum demum nuda pactio exceptionem pariat, quum accedit alicui conſtitutæ iam obligationi ex qua actio competit, vt non mirandum ſit, ex nudo pacto, tum dari exceptionem, quia quodā modo, imo vere ineſſe dicitur illi obligationi itaq; ſi promiſſi dare vt des: quamdiu tu non das, nuda eſt iſta conuentio, & neutri noſtrum parit actionē quare nec exceptionē quidem, cū exceptio ſine actione eſſe nequeat, et vbi nō eſt actio, ibi nec exceptio eſſe poſſit, quę nihil aliud eſt, quā actionis excluſio. At ſi ſtipulatus eſſes a me 10. & poſtea paciſcaris non petere, petenti tibi obſtabit ex pacto exceptio quod ſtipulationi ineſſe putatur, quū de eius obligatione detrahat. Sed dubium eſt, nūquid ex pacto nudo oriatur ſaltem naturalis obligatio, & dicēdum
12 eſt quod ſic Iaſ. in Rubr. ff. de Verb. obligat. nu. 5. & Zaz. n. 10. Connan. tamen Comment. iur. ciuil. lib. 5. cap. 1. nu. 6. late diſputat, defenditq; immo non oriri, ſed ita demum ſi is cui promittitur fidem alterius ſit ſequutus ex l. cum amplius §. is natura debet, ff. de Regul. iur. Tuncq; videri ſequutum

S fidem,

fidem,cũ niſi fiat quod promiſſum eſt,damnum paſſurus ſit, ſecus ſi non ſeruata promiſſio damni nihil afferrat. Sed verius eſt,obligationem naturalem in pactis ęſtimandam eſſe non ex eo quod intereſt alterius ex paciſcentibus ſeruari pactum, ſed ex fide data. Quinimo receptiſſima opinio eſt,de iure Canonico etiam ciuilem oriri per text.in ca.1.& 3. de
13 Pact. quaſi hoc ſit nouum,vt Bald.vocat in d.cap. 1. veſtimentum Canonicæ ſanctionis,ſed cur ita Canones velint, quærimus dicunt,quia Deus non facit differentiā inter iuramentum, & ſimplicem loquelam.c. iuramenti 22.q.5.ſed certe aliud eſt dicere, Deum non facere illam differentiā, aliud quod ius canonicum non faciat. Ideo alij rationem eſſe credūt,quia ius canonicum æquitate nitatur,& vbi ęquitas ſeruatur, etiam iure ciuili ex pacto nudo actio oriatur vt inter mercatores Bald.in d.c.1.col.pen.de Pact. Quidā tamen caſus ſunt,in quibus etiam de iure canonico actio nō naſcitur. Vnus eſt in contractibus innominatis & permutatione, in quibus ante implementum, etiam de iure Canonico actio non naſcitur quod Bald.in d.ca. 1. & plures alij notant. Item non naſcitur etiam ex pacto nudo fideiuſſoris, actio eodem iure Bald.in l.ſiue apud, C. de Tranſact. Item nec cum pactum eſt nudum a cauſa, nam cum pactum nudum iure canonico plus operari non poſſit, quam ſtipulatio iure Ciuili,c.ſunt qui opes 17.q. 4. Abb.& Felin.in c. ſi cautio de Fid.inſtrum.& de iure ciuili ſtipulatio ſine cauſa inefficax ſit l. 2.§.circa,ff.de Dol.except.conſequenter, & pactum nudum a cauſa de iure. Canonico inefficax erit. Et ſi dicatur,pactionem, quę habet cauſam non eſſe nudam ex Vlpiano in l. Iuriſgentium in principio dum ait, *ſed & ſi in proprium nomen contractus res non tranſeat ſubſit tamen cauſa vltra conuentionem adhuc actio datur.* Reſp.quod aliud eſt dicere,pactionem ob cauſam factam eſſe,aliud vltra conuentionem cauſam ſubeſſe. nam cauſam ſubeſſe intelligit Vlp. ibi quando intercedit datio,vel factum,veluti ſi do,vel facio aliquid,vt & tu viciſſim aliquid des,vel facias,tūc enim conceditur actio poſt datum,vel factum,ad conſequendum id, de quo conuentio facta eſt; At ob cauſam fieri poteſt,

etiam

Digitized by Google

etiam nulla ſequuta datione, vel facto, vt ſi promittam tibi centum ex cauſa mutui, tunc enim hoc pactum ſolum non obligat de iure ciuili, quia ſola cauſæ appoſitio iure ciuili ſatis non eſt, At iure canonico obligat, & ſatis eſt, Oroſcius in d. l. Iuriſgentium §. ſed cum nulla nu. 24.

Alter, & ſecundus effectus pacti eſt, quod informat principalem contractum, ſi incontinenti ſit appoſitum, et facit quod actio deſcendens ex cõtractu porrigatur etiam ad id, quod in pacto comprehenſum eſt d. l. iuriſgentium §. quinimo. Exemplum habemus in l. ſi ſterilis §. ſi tibi ff. de Action. empti. vbi ſi vendidi fundum, vt eum conductum haberem, & tu non vis locare iuxta pactum agam ex vendito vt loces, quaſi in partem pretij ea res ſit, omnia enim pacta pars pretij ſunt l. fundi partem & l. qui fundum, ff. de Contrah. empt. & hæc dicitur virtus pacti reformatiua; ſecus tamen eſt, ſi ex interuallo ſubſequatur pactum, nam tunc nõ ineſt ex parte actoris, nec informat contractum, & hoc ne ex pacto naſcatur actio, id quod tribus exemplis probat, I. C. ibi in d. §. quinimo.

Tertius effectus, ſeu tertia virtus pacti eſt reformatiua, veluti vendidi fundum pro 100. & deinde facio pactum, vt ſit venditus pro 150. vel etiam pro 50. tantum; tale pactum etiã ex interuallo adiectum reformat, ac quaſi renouat contractum, & proficit etiam ad actionem d. l. iuriſgentium §. adeo.

Quartus effectus, ſeu quarra virtus, eſt, ttansformatiua, veluti in contractu præcarij fit pactum, quod non poſſit reuocari ante certum aliquod tempus, tale pactum transformat contractum præcarij in commodatum; l. cum præcario 12. ff. de Prçcar. ſic ſi in donatione cauſa mortis fiat pactum quod non poſſit reuocari, transformabit donationem cauſa mortis in donationem ſimplicem l. vbi ita donatur, ff. de Donat. cauſ. mort.

Quintus effectus, ſeu quinta virtus eſt, quæ appellatur eliſiua, vt in pacto de non petendo, de quo in l. ſi vnus §. pactus ne peteret, cuius legis Caſus talis eſt. Debebas mihi centum ex ſtipulatione, feci tibi pactum de non petendo, deinde

feci pactum, vt poſſim petere,& ſic ſunt tria pacta, primũ ex contractu, ſecundum de non petendo, tertium de petendo, Quæritur ſi ego agã ex primo contractu,& tu obijcias pactum de nõ petendo, an poſſim te repellere replicatione poſterioris pacti,& reſpondet Paul.I.C.ſecũdum pactum per poſterius elidi non ipſo iure. ſed ope replicationis. Elidere enim ſignificat non omnino tollere,ſeu ſubmouere,ſed debilitare, ſiue inefficax reddere, & hæc de pactis nudis.

Quæ ſint Pacta veſtita.

Pacta veſtita ſunt,quibus,vel nomen,vel cauſæ implemẽtum
14 vel cohærentia contractus accedit,& hęc & exceptionem, & actionem pariunt tex.in d.l.iuriſgentium §.quinimo,& ibi Gloſſa Bart.& omnes.

Tertia diuiſio pactorum eſt,quod quędam pacta de re publica fiunt, quædam de re cuiuſq; familiari,& priuata d.l.iuriſgentium §.ſi paciſcar. De re publica fiũt pacta,quoties Duces belli inter ſe paciſcuntur l.5.hoc Tit.nec enim Principi tantum, qui ſummum imperium, ſummamq; poteſtatem habet,verum etiam Ducibus belli, pacta con hoſtibus inire publicæ vtilitatis cauſa permittitur; ſed dubium eſt, an a Ducibus belli,citra Principis,aut populi conſenſum, cuius nomine bellum geritur, pax conſtitui poſſit?& Barto.poſſe negat. Quæ ſententia vera eſt,ſi ducendi tantum, regendique exercitus cura eis demandata ſit,non autem plena, liberaq; rerum omnium poteſtas conceſſa argum. l.procu rator cui generaliter infra de Procurat. Quamob cauſam fœdus ab Hoſtilio Mancinio con Numantinis percuſſum, ſenatus ratum non habuit. Vnde Salluſtius de pace inter Aulum exercitus Romani Ducem,& Iugurtham Numidarum Regem facta, ſenatus,inquit,ita vti par fuerat,decernit,ſuo atq; populi iniuſſu,nullum potuiſſe fœdus fieri. Verum, ſi de inducijs quæratur, idẽ quod de pace reſpondendum pleriſq; placuit: cum procuratori qui liberam poteſtatem non habet,tempus ad ſoluendum dare non minus, quã

transi-

tranſigere con aduerſario, interdictum ſit l. qui Romę, §. Callimachus infra de verb. obligat. quam ſententiam, vt veriorem receptioremq; Probat Duaren licet Accurſ. atque Bart. contradicèt. Atq; ita cum inter Aegidem Lacedęmoniorũ Regem, & Thraſilum Alciphronẽq; Argiuorum Duces, pactę eſſent quatuor menſiũ induciæ, nõ ſine ratione. factum eſt, auctore Alcibiade, vt eas Argiui ratas nõ haberẽt, idemq; a Lacedæmonijs factum, Thucycides ſcribit eas tamen inducias, quæ neceſſitatem aliquam habent, excipiendas eſſe, idem Duarenus tradit, veluti, quæ ſepeliendorum cadauerũ gratia, inuicem conceduntur; quas uel humanitatis ratio non denegandas eſſe ſuadet. Sic Verg. Æneid. 11.

Iamque oratores aderant ex vrbe latina,
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes.
Corpora per campos ferro quæ fuſa iacebant
redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ
nullum cum victis certamen, & æthere caſſis

& Paulo poſt

Bis ſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra
per ſyluas Teucri, mixtiq; impunè latini
errauere iugis.

De re priuata & familiari fiunt pacta, vt ſi quis paciſcatur, ne iudicati, incẽſarum ædium, depoſiti, furti agat ne operis noui nunciationẽ exequatur d. l. iuriſgentiũ §. ſi paciſcar. ne iumẽti vitioſi aut morboſi vẽditor redhibitoria actione teneatur l. paciſci h. t. & c. Illud tamẽ omittendũ nõ eſt, quod de re quæ ad Rẽ P. magis quam ad rem familiarem ſpectat, paciſci non poſſumus, nam ius publicum priuatorum pactis mutari non poteſt l. ius publicum. h. t.

Quarta diuiſio eſt, quod alia pacta sũt iuſta, alia iniuſta, iuſta intelligimus, quæ legitima, iuri, & bonis moribus conſentanea ſunt, iniuſta, quæ de re turpi, & inhoneſta, boniſq; moribus, ac legibus contraria fiunt, & hæc nullius ſunt momenti, & ideo, ſi ob maleficium ne fiat (ſic enim legitur in Pandectis Florentinis) aliquid promiſſum ſit, nulla eſt obligatio, tex. eſt in d. l. iuriſgentium §. ſi ob maleficium, & Ratio eſt, quia licet hæc cauſa ne maleficium fiat, in ſe ſit iu-

Digitized by Google

ſta,& honeſta,attamen ex parte recipientis, iniuſta, eſt, & turpis,nam qui pecuniam accipit pro re facienda quam gratis facere tenetur,turpiter accipere dicitur l.2.ff.de Cond. ob turp.cauſ.& l.fin.C.Eod.cui conſequens eſt, teſtem eſſe falſarium,qui ob dicēdum teſtimonium pecuniam accipit, & ſi veritatem dicat Gloſſa in l. 1.ff.ad l.Cornel.de falſ. in verbo aduocationem, & Iaſ. in l. diuus, ff.de Re iudic. nu.
15 27. ſic & pacta quæ de futura ſucceſſione fiunt, tanquam iniuſta,& bonis moribus contraria,improbantur l.pactum quod dotali C.de Pact.l.hæreditas,C.de Pac.conuen.Apud priſcos enim Romanos, turpe, ac impudens habitum fuit, de hæreditate viuentis quemquam ſolicitū inducunt enim talia pacta votum captandæ mortis, & more vulturum cadauer,vt aiunt,expetandi occaſionem præbent; liberam teſtandi facultatem auferunt,nec permitunt voluntatem teſtatoris eſſe ambulatoriam vſq; ad ſupremum vite exitum, cum tamen nihil ſit,quod hominibus magis debeatur, quā vt ſupreme voluntatis liber ſit ſtilus,&licitum quod iterum non redit arbitrium .l. 1.C.de Sacr.Sanct.eccleſ.ſane in militibus ad prælium pergentibus conſtitutum eſt, huiuſmodi pacta valere,vt ad ſuperſtitem alterius bona perueniant, nam voluntas eorum quoquomodo declarata, vim teſtamenti obtinet l.licet inter priuatos,C.Eod.ſimiliter, & pactū,quo cauſidicus a litigatore litem redimit,conuenitq; vt is nomine mercedis certam partem eius pecuniæ quæ adiudicata fuerit,vel maiorem aliquam ſummam in euentum litis accipiat,reprobatur l.ſumptus.h.t.l.ſalarium infra mandat Tale enim pactum, quod de quota parte litis dicitur, Cauſidicis calumnioſè litigandi occaſionem præbet, nam quoties ſpes aliqua vberioris queſtus certa ipſis oſtenditur *Tunc immenſa caui ſpirant mendacia folles* vt ſatyricus Poeta inquit.

Quinta diuiſio eſt,quod quædam pacta in rem ſunt, & quædam in perſonam. In perſonam pacta ſunt, quoties fiunt ne a perſona petatur,puta a Titio. In rem, quoties generaliter paciſcimur, ne res aliqua petatur, cuius diuiſionis magna eſt vtilitas, nam perſonale pactum ad alium non

per-

Digitized by Google

pertinet, ſed ei duntaxat prod eſt, con quo factum eſt l. 26. §. primo, & 28. §. ante omnia. In rem autem pactum omnibus prodeſt, quorum obligationem diſſolutam eſſe, eius qui paciſcitur, intereſt l. 22. §. fi. et hęc de pactis, nunc, de Trãſactione, per quam ſæpè etiam, controuerſiæ inter litigantes, aliquo tamen dato, remiſſo, vel accepto, componuntur videndum eſt in Titulo.

De Tranſactionibus Tit. XV.

1 *Quid ſit Tranſactio.*
2 *Quæ requirantur in tranſactione.*
3 *Qui tranſigere non poſſint.*
4 *De quib. reb. trãſigi non poſſit.*
5 *Et an de crimine trãſigi poſſit.*
6 *Et quid de Adulterio.*
7 *Quid de falſo.*
8 *Et quid in crimine priuato.*
9 *Quomodo intelligatur de crimine licitum eſſe tranſigere.*
10 *Qui ſint effectus tranſactionis.*

Quid ſit Tranſactio.

TRanſactionis verbum non ſolum generaliter accipitur, ſed, & ſpecialiter. Tranſacta enim aliquando dicuntur quæ quoquomodo ad finem producta ſunt, vel ſententia, vel iureiurando vel longi temporis ſilentio, aut quolibet alio modo l. tranſactio 229. con l. ſeq. ff. de verb. ſignific. ſpecialiter autem vt in hoc Tit. accipitur pro deciſione rei dubiæ, litiſue incertè data, retenta, aut promiſſa re aliqua,
1 & ideo deffinitur, vt ſit de re dubia, & lite incerta non gratuita pactio l. 1. h. t. l. 2. & 38. C. Eod. dictaq; eſt Tranſactio auctore Bald. in l. 2. infra de iur. iur. quaſi tranſitus actionis. Vt enim agere Actor dicitur qui id petit quod ſibi debetur §. 1. inſtit. de Action. ita tranſigere dicitur qui actionem tranſit, ſeu ab actione recedit. Et contractum innominatum eſſe Tranſactionem Accurſ. in l. ſiue apud acta, C. Eod. ſentit, cui Bart. nu. 21. & cæteri aſſentiunt, & hoc, propter generalitatem nominis, non autem quia ſic legiſlatori placuerit, vt

qui-

Digitized by Google

quidam putant nam nimis imperioſa eſſet hæc ratio. Sic & diuiſio l. diuiſionis ſupra de Pact. & pactum nudum Glo. in l. 1. ff. de Action. & obligat. & permutatio Gloſ. in Rubr. C. de Rer. permutat. contractus innominati dicuntur ſpeciale tamen eſt, in tranſactione vt in ea non ſit locus penitentiæ l. quamuis 39. C. Eod. quod non eſt in alijs contractib. innominatis l. ſi pecuniam infra de condict. ob cauſ. & tradit Bartol. in l. naturalis §. quod ſi faciam infra de Præſcriptis. verb.

Quæ requirantur in tranſactione.

Requiſita tranſactionis ſunt Primo, vt non ſit gratuita, ſed quod in ea aliquid detur, retineatur, vel promittatur, quia
2 tranſactio nullo dato, vel retento, ſeu promiſſo, non valet l. 38. C. Eod. & in hoc differt a pacto quod tunc dicitur cum quis gratis remittit l. 1. h. t. Secūdò requiritur quod fiat de re dubia, & lite incerta d. l. 1. & in hoc ſimiliter differt a pacto, quod dicitur, cum res certa, aut indubitata remittitur d. l. 1. Et rem dubiam intelligo non ſolum ſi lis mota ſit, ſed etiā ſi moueri timetur, dummodo abſit calumnia l. 2. C. Eod. ideo poſt rem iudicatam trāſactio non admittitur, quia per ſententiam res dubia eſſe deſinit l. 32. C. Eod. niſi a ſententia appellatum ſit, vel intra tempus datum ad appellādum facta ſit, nam tunc valet l. 7. h. t. Et ſi quis dicat cur mihi non licet remittere quod mihi per ſententiam adiudicatum eſt? l iuriſgentium §. ſi paciſcar ſupra de Pact. Reſpondeo, non eſt dubium, quod quis poteſt remittere quod ſibi iudex per ſententiam adiudicauit, ſed tranſactio non erit, quia tranſactio donandi animo facta non valet, quoniam qui tranſigere vult, non habet animum donandi neq; videtur velle gratis remittere, & ſic deficit conſenſus, & voluntas donandi, atque remittendi cum quis tranſigere ſe velle, ait ideo non valet.

Qui tranſigere non poſſint.

Tranſigere non poteſt Primo Procurator, etiam ſi generale mandatum habeat l. 60. infra de Procurat. niſi ſit generale

con

Digitized by Google

con libera, l. 58. infra de Procurat. & l. 17. §. vlt. infra de iur. iur. vel niſi in rem ſuam conſtitutus ſit, l. 9. C. de Procurat. Secundo Procurator Cęſaris, & ipſe niſi ſpeciale mandatū habeat, tranſigere non poteſt l. nulli 13. h. t. idem & de Defenſore Ciuitatis, municipij, aut corporis alicuius qui ſyndicus dicitur dicendum eſt, cum vniuerſorum bonorum ciuitatis adminiſtrationem liberam non habeat argumen. l. 34. §. defenſor infra de iur. iu. Tertio pater de re filiorū quos in poteſtate non habet ſimiliter tranſigere non poteſt l. de re filiorum 10. h tit.

De quibus rebus tranſigi non poſſit.

Tranſigi non poteſt Primo de his controuerſijs, quæ ex teſtamento pendent, niſi inſpectis cognitiſq; verbis teſtamenti l. 3. 6. & 12. Secundo de alimentis etiam tranſigi non poteſt, niſi auctore Prætore l. 8. h. t. intellige de futuris, nam de præteritis poteſt l. de alimentis, C. Eod. Item intellige de futuris relictis in vltima voluntate, nam de alimentis per contractum conſtitutis licet etiam ſine Prætore tranſigere d. l. 8. §. planè, & rationem diuerſitatis cur ſcilicet de præteritis liceat, non de futuris, Bart. in d. l. de alimentis, dicit eſſe, quia præterita alimenta non ſunt neceſſaria ſicut futura: nam ſi futura negarentur poſſet quis fame mori, ſequitur Bald. & Iaſ. ibi; ſed cur poſtea de futuris ex contractu liceat? idem Bart. in redendā ratione diuerſitatis lapſus eſt inquirens tempus preſens, præteritum, & futurum, & ſimiliter extra chorum ſaltat. Dec. dicēs ex ſententia Salyceti, & Alberici, quod in alimentis debitis ex contractu tranſigitur, quia ſicut quis fuit diligens in alimentis acquirendis in contractu, ita erit in conſeruandis. Ego autem rationem eſſe exiſtimo, vt ſeruetur teſtatoris voluntas, quam nulla ratione, nec Legatarius, nec alius poteſt violare, nam veriſimile eſt teſtatorem ita voluiſſe alimenta præſtari, vt ordinauit, & ideo cum agatur de iure tertij, nec hæres, nec legatarius poteſt tollere legem dictam a teſtatore; non ſic eſt in alimentis præteritis, quia ad præterita non eſt potentia, non

Digitized by Google

ſic etiam eſt in alimentis debitis ex contractu, quia tunc non agimus de iure tertij, & de voluntate teſtatoris ſeruāda. Ex quo ſequitur, tranſactionem eſſe prohibitam non tantū fauore alimentorum, ſed etiam fauore poſtremæ voluntatis, nam publice intereſt poſtremas hominum voluntates exitum habere, cum nihil magis hominibus debentur quam vt liberum habeant, quod iterum non reddit arbitrium l. 1. C. de Sacroſ. Sancro. Eccleſ. l. vel necare, ff. quemad. teſt. aper. nam ſi ſolus fauor alimentorum tranſactionem impediret, dicendum proculdubio eſſet etiam de alimentis quę ex contractu debentur, tranſigi non poſſe.

De crimine autem an tranſigi poſſit? & dicendum eſt tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitū non eſſe l. tranſigere 18. C. Eod. ignoſcitur enim Reo, qui ſanguinem ſuum qualitercunq; redemptum voluit l. 1. ff. de Bon. eor. qui ante ſent. ſibi mort. conſc. crediturq; in vitæ diſcrimine, non ſceleris conſcientia paciſci, aut tranſigere. Sed cur excipiatur adulterium, ſi rationem quęras, vix inuenies vbi queas conſiſtere, à ſingulis enim interpretib. ſingulæ ferè rationes redduntur adeo vt ſi vllo loco dici poſſit. Tot ſententiæ quot capita, hic ille locus ſit, quo iuſtiſſimè prouerbium iſtud vſurpes. Sunt qui propter criminis enormitatem hoc conſtitui volunt Odofre. in d. l. 18. Mant. ſing. 268. Forcat. in Cupid. Iuriſperi. cap. 3. Guiber. de Dotib. cap. 6. nu. 25. Alij matrimoniorum fidem, & legitimæ ſobolis curam, & ſolicitudinem conſiderantes in fauorem, & honorem matrimonij id factum fuiſſe affirmant Caſtr. in d. l. 18. Roman. Salic. Iaſ. Alex. Quidam ex eo quod olim iure Digeſtorum adulterium non eſſet capitale, tranſigi non potuiſſe, quod licet poſtea capitale factū, antiqui tamen iuris diſpoſitionem manſiſſe, credunt, vt de eo tranſigere non liceat Alciat. in d. l. 18. & lib. 5. Parodox. cap. 8. Cuiac. Obſer. lib 6. cap. 11. Dicunt alij quod cum adulterium ſemper in occulto, & clam fieri ſoleat, nimis bene con adulteris ageretur ſi ſe poſſent pecunia redimere. quod quidem eſſet in prę iudicium vindictæ publicæ, & hanc rationem Alciat. in d. l. 18. aſcribit Bart. & Bal. quo tamen in loco id ipſi dixerint,

nec

Digitized by Google

nec ipſe refert, nec ego potui inuenire, vt cumq; ſit mihi placet. Exiſtimant etiam nonnulli, pactiones in adulterio improbari, quod non turpes eſſe non poſſint, & ſine lenocinij ſuſpicione l. 2. & 29. ff. ad l. Iul. de Adult. imò militem qui cō adultero vxoris ſuæ pactus eſt, ſolui ſacramento deportarique debere Papin. ſcribit in l. 11. Eod. Tit. & hæc fuit ratio Bald. in d. l. 18. Connan. comment. iur. ciuil. lib. 5. cap. 7. Coraſ. Miſcel. lib. 2. cap. 1. De alijs autem publicis criminibus quæ ſanguinis pœnam non ingerunt tranſigere non licet, citra falſi accuſationem d. l. tranſigere 18. Quia cum ceſſet ratio redimendi ſanguinis, propter quam conniuentibus oculis tranſactionem lex permiſit, qui tranſigit fateri præſumitur, & ſceleris cōſcientia tranſigere videtur, reſurgitq; zelus publicæ vindictæ à quo nihil eſt quod reuocet l. eius qui, ff. de iur. Fiſc. & l. fin. ff. de Præuaricat. Sed cur non id ipſum dicitur in falſo, vt qui de eo pactus fuerit, exiſtimetur confeſſus delictum? Sunt qui huius delicti atrocitatem putant id induxiſſe, cuius tanta eſt infamia vt capitalibus criminibus comparetur Cyn. Bar. Salic. Roman. Alex. Iaſ. Angel. & Riminal. in d. l. 18. Alijs placet vt probatio falſi, vera eſse debeat clara, & aperta, neq; ſufficiat quæ ab ipſis tranſactionibus ſuſpicioſe ducitur Alciat. Paradox. lib. 5. cap. 9. Nonnulli intelligunt non licere in falſo, vt nec in alijs publicis criminibus tranſigere citra falſi accuſationem, ideſt, ſine falſi accuſatione, & quin paciſcens accuſari falſi poſſit accipiendo, citra, pro ſine, pro vt & in l. generali, ff. de Publ. iudic. & in l. vt ſi ff. Pro ſocio. Donell. & Alciat. in d. l. 18. Loriot. de Pact. axion. 102. Rẹuard. Var. lib. 4. cap. 6. Dicamus nos con Connan. comment. iur. ciuil. lib. 5. cap. 7. & Cuiacio obſeruat. lib. 6. cap. 11. quæ fuit etiam ratio Ioannis, Odofred. & Accurſij in d. l. 18. ſcilicet, quod aliud dicitur crimen falſi, quod ſolam publicam vltionem reſpicit, prout eſt in his, qui monetam falſant l. 2. C. de Falſ. monet. radunt, vel adulterāt l. 8. & 9. ff. ad l. Iul. de fal. et hęc et ſimilia nō ꝓprie ſunt crimine falſi cēſenda, ſed generali ſignificatione ita appellantur, & ideo habent etiam in Codice ſuum proprium tractatum. Aliud eſt crimen falſi proprie, quod priuatam

ſolum eius qui offenſus eſt, iniuriam continet. de quo, & ciuiliter, & criminaliter agi poteſt, & de hoc tranſigere conceſſum eſt, ſic vt pro conuicto non habeatur qui tranſigit; nam cum priuatim eius interſit ita facere, pecuniarium ſuũ compendium tranſigendo quæſiuiſſe, non delictum tegere voluiſſe, credendus eſt. Nec enim criminis confeſſionem ex tranſactione ſuſpicari debemus, quandò aliò coniectura deriuari poteſt, ſi enim de fundo lis ſit, et tu falſa inſtrumenta ſuppoſuiſti, vt ius tuum conſtitueres, cur non licebit tibi de falſo mecum tranſigere? quod ſi facias, de fundo potius tranſegiſſe, quam de crimine confeſſus fuiſſe videris. In nullo enim alio crimine, tanta eſt coniunctio priuatæ vindictæ con publica, quanta in iſto. Controuerſia ſiquidem fundi nihil ad publicum falſi crimen, & tamen in ea ius ex inſtrumentorum veritate pendet, neque fundi cauſa ſine falſi cognitione iudicari poteſt, & tamen illa cognitio, non ad vindictam publicam, ſed ad fundi adiudicationem pertinet. Et ſic non eſt vllum falſi crimen, cui non ſit coniunctum pecuniarium commodum, de quo tranſactio interpretanda, & non ad confeſſionem criminis, de quo quatenus eſt crimen, non agitur, eſt traducenda. Vt ſic in falſo qui paciſcitur, non de eo ſed de re ſua paciſci exiſtimetur, quam ſibi mauult vtcunq; confirmare, quã iuris ſui, & illius criminis dubium ſubire iudicium. Exẽplo ſit, quod Alex. Imp ſcribit in l. 5. nec non Val. & Gal. in l. 7. C. ad L. Cornel. de falſ. ſub quo titulo non agitur de alio falſi genere, nam monetariorum crimen, alio nomine, aliaque pœna cenſetur.

Atque ita concludendum eſt, quod vbi de crimine capitali agitur & tranſigere, & paciſci conceſſum eſt, excepto adulterio; vbi verò de crimine agitur quod ſanguinis pœnam non ingerit, nec tranſigere, nec paciſci licet, excepto crimine falſi.

Ampliatur vt procedat non modo ſi agatur de crimine publico, ſed etiam priuato, quia etiam in criminibus priuatis non eſt licita tranſactio, ſi pœna ſanguinis non ingeratur. Bart. in d. l. 18. num. 14. Purpurat. num. 120. Padila num. 104. Iaſ.

Alciat.

Digitized by Google

Alciat.& alij. Clar.lib.5.ſent.§.fin.q.58.num.16.& Fachin. controu.iur.lib.1.cap.9 Hoc autem quod diximus, ſcilicet,
9 de crimine capitali licitum eſſe tranſigere, intellige, Primò quantum ſit ad id quod ipſarum partium priuatim intereſt, & ad hoc ne accuſator amplius admittatur. Secundò quo ad hoc, vt propter tranſactionem non habeatur reus pro confeſſo, & conuicto. Tertio vt non puniatur aliqua pœna, quaſi corruperit accuſatorem l. Imperatores, ff.de iur. Fiſci. Ac demum ad hoc ne accuſator incidat in Turpillianum, tanquam deſiſtens ab accuſatione l.1.ff.ad S.C.Turpillian. cuius pœna pecuniaria eſt, ſcilicet quinque librarum auri, l. 3. ff. de Præuaricat. Secus tamen eſt quo ad punitionem criminis, nam vindictæ publicæ ius ſuum ſeruatur integrũ, & ideo poterit iudex vel ad alterius accuſationem, vel ex officio ſuo procedere, & ſi probatum fuerit crimen, delinquentem etiam ordinaria pœna punire, quod & lege, & ratione probatur. lege, per tex.in l.qui cetu, §.fin.ff.ad l.Iul. de vi public. cuius hæc ſunt verba. Qui vacantem mulierem rapuerit, vel nuptam vltimo ſupplicio punitur, & ſi pater iniuriam ſuam precibus exoratus remiſerit, tamẽ extraneus reum poſtulare poterit facit l.2.C.de Abolition.ibi, redemptæ miſerationis vox minimè admittatur, ſed aduerſus nocentem reum, inquiſitione facta competens pœna ingeratur. ratione confirmatur; quia cum ex quolibet delicto duplex offenſa oriatur publica, & priuata, conſequenter duplex etiam actio oritur vna parti, altera Rei P.l. licitatio, §. ſed quod illicitè, ff.de Publican.& vectigalibus. Ideo pacto, vel tranſactione partis non poteſt auferri ius vindictæ publicæ argumento l.iuriſgentium §.ſi Paciſcar.ſupra de Pact. & ita etiam tenet Bart. in d.l.18. in Prima lect. num.8. Angel.num.7. Bald.Salicet. Caſtr.Alex. & alij quos refert & ſequitur Gomez.var.Reſolut.Tom.3.cap.3.num.55. Et hac de cauſa etiam hodie, vt teſtatur Clar. d.q.58. num.15. ex generali conſuetudine Italiæ licitum eſt facere pacem pro quocunque crimine.

Qui

Qui ſint effectus tranſactionis.

Effectus tranſactionis ſunt, & Primo quòd cauſa tranſactione finita, amplius retractari non poteſt l. 10. nec imperiali reſcripto l. 16. nec ſub prætextu inſtrumenti de nouo reperti l. 19. alioqui nullus eſſet litium finis d. l. 10. Item nec ſub prætextu quod ſine cauſa facta ſit l. 23. C. Eod. nā ſi lis fuit, hoc ipſum quod à lite diſceditur, cauſa videtur eſſe l. 65. infra de condict. indeb. & ideo ſi quid etiam ob hanc cauſam fuerit ſolutum, repeti non poterit d. l. 23. & d. l. 65. Secundò à tranſactione altero ex tranſigentibus inuito recedi non poteſt, etiam ſi nudo pacto facta ſit l. 2. h. t. quod ſingulare eſt vt finiantur, minuanturque lites l. 39. C. Eod. & nudo pacto fit hoc modo, promitto tibi decem, vt à me amplius non petas. Quandoque tamen etiam Aquiliana ſtipulatio pacto adijci ſolet l. 15. h. t. quæ eius naturæ eſt, vt omnes præcedentes obligationes nouet, ac perimat, ipſaque per acceptilationem perimatur l. 4. Tertio Tranſactio facta con vno alijs non nocet, nec prodeſt l. 3. Itē de vna re facta ad aliam non extenditur l. 8. neque ad ea trahitur de quibus cogitatum non eſt l. 9. h. t. facta tamen de principali negocio, tacite quoque de ſumptibus, & expenſis litis, etiam ſi nihil dictum ſit, facta intelligitur l. terminato C. de Fruct. & lit. expenſ. Quartò non minorem auctoritatem habet tranſactio, quàm res iudicata l. 20. C. Eod.

Finis Libri Secundi.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIVS
Pandectarum.

De Poſtulando. Tit. I.

1 *Quid ſit poſtulare.*
2 *Quot ſint ordines eorum qui poſtulare prohibentur.*
3 *Qui nec pro ſe, nec pro alijs poſtulare poſſint.*
4 *Qui pro ſe poſtulare poſſint, ſed non pro alijs.*
5 *An cæcus poſſit iudicare.*
6 *Qui pro ſe & alijs certis tantum perſonis poſtulare poſſint.*

TErtius Gradus præluſorij certaminis actoris & rei, eſt poſtulatio, nam ſi neque pactis, neq; tranſactionibus ſuſcitata lis ſopiri poſſit, deuenitur ad iudiciū, & poſtulationes fiunt, de quibus in hoc Tit.

Quid ſit poſtulare.

Poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eum qui iuriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio cōtradicere l. 1. §. poſtulare. h. t. Pro ſe poſtulat dominus litis, pro alio Aduocatus, qui in poſtulando ab omni iniuria, & malidicendi temeritate abſtinere, & ſolum quod litium poſcit vtilitas, aut cauſa deſiderat, agere debet, l. quiſquis, 6. C. Eod.

Quot ſint ordines eorum qui poſtulare prohibentur.

Tres ſunt ordines eorum, qui poſtulare prohibentur, nam Aliqui ſunt, qui nec pro ſe, nec pro alijs poſtulare poſſunt, Qui-
2 dam ſunt, qui pro ſe quidem poſſunt, ſed non pro alijs & Alij, qui pro ſe, & alijs non tamen indiſtinctè, ſed certis tantum perſonis.

Qui

Qui nec pro ſe, nec pro alijs poſtulare poſſint.

Nec pro ſe, nec pro alijs poſtulare poſſunt Minor 17. annis
3 l. 1. §. initium. Item ſurdus, qui prorſus non audit d. l. 1. §. propter caſum.

Qui pro ſe poſtulare poſſint, ſed non pro alijs.

Pro ſe poſtulare poſſunt, ſed non pro alijs, Mulier d. l. 1. §. ſexum, Cæcus d. l. 1. §. caſum, muliebria paſſus d. l. 1. §. remouet capitali crimine damnatus d. l. 1. §. & qui. Item damnatus calumniæ publici iudicij d. l. 1. §. Item ſenatuſconſulto; qui operas locauit, vt con beſtijs pugnaret d. l. 1. §. Beſtias, ſecus ſi pugnauerit cùm non locaſſet d. l. 1. §. quid ſi depugnauit. Verum ſi tutelam, vel curam huiuſmodi perſonæ adminiſtrent pro his quorum curam gerunt, poſtulare minimè prohibentur d. l. 1. §. eſt æquiſſimum.

Sed dubium eſt de Cæco, an ſicut non poteſt poſtulare, ita nec etiam poſſit iudicare, & tex in d. l. 1. §. quamuis dicit, quod licet non poſſit poſtulare, tamen & ſenatorium ordinem, retinet, & iudicandi officio fungitur, quod Accurſ. intelligit, dummodo ante cæcitatem iudex datus fuerit, veritus forte, ne aliter intellectus locus ille repugnet verbis ſequentibus eiuſdem legis, dum ibi dicitur Cæcum retinere
5 quidem acceptum magiſtratum poſſe, aſpirare autem ad nouum penitus prohiberi, ego autem exiſtimo indiſtinctè iudicem eſſe poſſe, cum nulla ſit lex quæ hoc prohibeat l. 6. & 12. infra de iudic. nec me mouet, quòd nouum magiſtratum inire non poſſit, quia iudicis, & magiſtratus cauſa diuerſa eſt. In iudice enim priuato, nihil aliud quàm iudiciū, prudentiam, doctrinam, & virtutem requirimus. In magiſtratu autem præter hæc omnia, decoris cuiuſdam, & ſplendoris publici rationem habendam eſſe conſtat l. reſcripto, ff. de Munerib. & honoribus & tradit Duaren. lib. 1. Diſputat. cap. 23.

Digitized by Google

Qui pro ſe, & alijs certis tantum perſonis poſtulare poſſint.

Pro ſe, & alijs etiam, non tamen indiſtinctè, ſed certis tantùm perſonis veluti pro parentibus, filijs, fratre, ſorore, vxore,
6 ſocero, ſocru, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo pupilla, furioſo furioſa, fatuo, fatua, & alijs de quibus in d.l.1. in fine, 2.3.4.5. & 6. poſtulare poſſunt omnes hi qui, vt infames notantur d.l.1.§.ait prætor. & qui iſti ſint, ponitur poſteà in Titulo ſequenti.

De his qui notant infamia. Tit. II.

1 *Quid ſit infamia.*	3 *Quid ſit infamia iuris.*
2 *Quotuplex ſit infamia.*	4 *Quid ſit infamia facti.*

QVID SIT INFAMIA:

INfamia ſecundum Accurſ. in l.1.C.Eod. definitur, vt ſit famæ imminutio, nota, ſiue priuatio, particula enim, in, priuatiua eſt, vt indoctus, infirmus, & ſimiles Bart. in l. fin. §. ille caſus num.2. & Iaſ. num.12. ff. de liber. & poſth. & ſic
1 labem, ac detrimentum famæ, æſtimationiſque læſionem ſignificat l.8.C.Eod.

QVOTVPLEX SIT INFAMIA.

Infamia duplex eſt iuris & facti l. prima, & vigeſima, hoc
2 Titulo.

QVID SIT INFAMIA IVRIS.

Iuris infamia eſt, quæ, vel lege, vel ſententia iudicis irrogatur d.l.1. Lege, vt ſi quis ab exercitu ignominiæ cauſa di-
3 miſſus ſit, ſi artis ludicre cauſa in ſcenam prodierit, ſi lenocinium fecerit, ſi mulier intra annum luctus nupſerit, & ſimilia d.l. 1.2.3. & 4. mulieribus enim anni ſpatium datum

V fuit,

fuit, vt maritum elugerent, tàm ratione honeſtatis, vnde Ouidius

Quæ nubit toties non nubit, adultera lege eſt.

quàm etiam ratione prolis, ad hoc ne propter ſanguinis incertitudinem, filiorum quoque incertitudo cauſetur l.11. atque hinc eſt, quod viri vxores lugere non compelluntur, & ſponſi nullus luctus eſt l. 9. & 10. Et de hoc anno luctus loquitur etiam Ouid. lib. 3. Faſtor.

Aſſuetos igitur numeros ſeruauit in anno
Hoc luget ſpatio fœmina mœſta virum.

& hæc quidem iure ciuili obtinent, niſi mulier poteſtatem nubendi à principe impetrauerit l. 10. iure verò canonico hodie impunè nubit etiam intra annum luctus cap. pen. & fin. & ibi omnes extra de ſecund. nupt. Item & mulier, quæ ventris nomine per calumniam in poſſeſſionem miſſa fuerit, dicens ſe pugnantem cùm non eſſet, infamis lege efficitur l. 15. & 16. Sententia iudicis infamia irrogatur, veluti ſi quis calumniæ, aut præuaricationis nomine, furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, aut de dolo, damnatus ſit d.l.4. §. vlt. vel etiam pactus ſit d.l.4. in fine, 5. & 6. pretio, non gratis, d.l.6. & l.18. C. Eod. ſuo nomine non alieno, nam procurator, Tutor, vel hæres, non notantur d.l.6.§.1. Item qui tutelæ, depoſiti, pro ſocio, aut mandati iudicio directo, nō contrario, (quia in contrario non de perfidia agitur, ſed de impenſis;) damnatur, infamis eſt d.l.6.§. pen. & vlt. non ſic pactus, cùm in his non tam turpis ſit pactio, ſicut in ſuperioribus l.7. Adde etiam condemnatos de ſepulchro violato, & de expilata hæreditate infames eſſe l. 1. infra de ſepulchr. violat. l.12. C. Ex quib. cauſ. infam. irrogat. & damnatos ſemper intellige per ſententiam iudicis non arbitri l.13.§. ex compromiſſo, h.t.

Illud omittendum non eſt, quòd ob id ſolum, quod quis vincula, aut carcerem paſſus ſit, infamiæ detrimentum non patitur l.1. C. Eod. ſicut nec torturam paſſus; nam non cruciatus, ſed cauſa facit infamem l.22. h.t. l.14. C. Eod. Debitores quoque qui bonis cedunt aut creditores effugiunt ipſo iure probroſi non ſunt, quia bonis cedere quandoque etiam boni ca-

ni calamitate aliqua coguntur l. 11. C. Eod. Item nec teſtes quorum teſtimonia in iudicio reprobantur, infames ſunt l. 21. cùm non tam ob falſitatem, quàm ob aliam cauſam reijci poſſint.

QVID SIT INFAMIA FACTI.

Infamia facti eſt, quæ non ipſo iure, nec ex legibus diminutionem æſtimationis affert, ſed famam apud bonos graues, ac honeſtos viros lædit ac grauat l. 20. h. t. l. 13. 17. & 19. C. Eod. Itaque & qui reſtitutus eſt famæ hac nota laborat, nam vt Plautus inquit in Pen. Act. 3. hominum immortalis eſt infamia, & etiam tum viuit, cum eam eſſe credis mortuam, & Vlpianus in l. palàm 43. infra de Rit. nupt. non aboletur, inquit, turpitudo, quæ poſtea intermiſſa eſt; Hinc Claudius Cæſar, cùm cuidam notam infamiæ appoſitam, deprecantibus familiaribus, ademiſſet, litura tamen, inquit, extat, ſentiens remiſſa culpa infamiæ prioris veſtigium nihilominus manere.

Hæc infamia licet non tàm efficax ſit, quàm ea quæ iuris dicitur, effectu tamen non caret, vt ex multis iuris locis obſeruare licet, veluti ex l. 7. & 12. ff. de Decurionib. ex l. 27. C. de inoffic. teſt. l. 3. in principio infra de Teſtib. l. 2. C. de Dignitat. lib. 12. l. 8. C. de Decurion. lib. 10. & ſimilibus.

De Procuratoribus, & Defenſoribus.

Tit. III.

1 *Quid ſit Procurator.*
2 *Quot ſint Procuratorum genera.*
3 *Qui procuratores eſſe nõ poſſint.*
4 *In quibus caſibus non admittatur Procurator.*
5 *Qui procuratorem dare non poſſint.*
6 *Qui ſint effectus mandati procuratorij.*
7 *Quid ſit Defenſor.*
8 *Quæ differentia ſit inter Procuratorem, & Defenſorem.*

Digitized by Google

Dictum eſt de Poſtulãdo, & de his qui pro ſe, vel pro alijs poſtulare poſſunt, vel non. At quia, qui pro aliis poſtulant, Procuratores, vel Defenſores dicuntur; ideo & de his dicitur.

QVID SIT PROCVRATOR.

Procurator eſt qui aliena negocia mandato domini adminiſtrat l. 1. Conſtituique poteſt, tàm præſens, quàm abſens d. l. 1. in fine, & præſens dicitur etiam ſi in foro, in hortis, & in continentibus ſit l. 5. 6. & 7. Item & per nuncium, & per
1 epiſtolam d. l. 1. & 61. dummodo expreſsè conſentiat, non tacendo l. 2. & 8. §. inuitus Item & ad litem futuram dari poteſt, & in diem, & ſub conditione, & vſque ad diem, & in perpetuum l. 3. & 4.

QVOT SINT PROCVRATORVM GENERA.

Conſtitui poteſt Procurator, aut vniuerſorum bonorum, aut certæ alicuius rei, vel litis, negociive d. l. 1. hic ſpecialis, ille
2 vniuerſalis, & generalis dici ſolet l. 58. Item & ad lites, de quo propriè in hoc Tit. & ad negocia, de quo infra in Tit. Mandat. Rurſus poteſt conſtitui Procurator etiam in rem ſuam, vt eſt is, cui dominus, aut vendidit, aut quoquomodo actiones ceſſit l. 33. §. fin. 34. & 55. Sed cur Procurator dicitur & non dominus, cum propria magis quàm aliena negotia adminiſtret? Reſp. ius olim conſtitutum fuiſſe, vt ſolius Prætoris eſſet, actionem alicui dare, non hominis priuati, cui competeret ea actio, vt E. G. Prętor ait. Quod quis commodaſſe dicetur, iudicium dabo; hoc caſu ſolum commodanti actio dabatur non alii, etiam ſi id vellet commodator, ne à verbis edicti recederetur, & ideo ſi quis ius agendi ſibi competens in alium transferre volebat, imaginaria quadam procuratoris conſtitutione id facere debebat. Et licet hodie formularum conceptio non obſeruetur, ſubtilitaſque hæc ſublata ſit l. actio infra de Negoc. geſt. priſcam tamen appellationem adhuc retinemus vocantes procuratorem eum, qui re vera nihil minus quàm procurator eſt.

QVI

Digitized by Google

QVI PROCVRATORES ESSE NON POSSINT.

Procuratores eſſe non poſſunt, nec Milites l. 8. §. milites, nec clerici niſi fortè pro ſuo ordine, aut Eccleſia c. 1. & 2. Ne clerici vel Monachi. nec Minores 25. anni l. 51. nec Muti & ſurdi l. 43. quod verum eſt quo ad iudicia, ſecuſque ad negocia d. l. 43. nec fœminæ cum ſit virile officium l. 54. vſque
3 adeò vt nec filios in iudicio defendere poſſint, ſed eis debeant tutores petere l. 18. C. Eod. appellare tamen poterunt l. 1. Infra de Appellat. recipiend. & pro parentibus etiam, agere ſi eos morbus, vel ætas impediat, nec quenquam qui agat, habeant l. 41.

In quibus caſibus procurator non admittatur.

In criminalibus Procurator non admittitur l. pen. §. ad crimen, ff. de Publ. iudic. quia Rei interrogari, per ſe reſponde-
4 re, ac ore proprio cauſam dicere debent, ad hoc vt iudex ex eorum reſponſione veritatem facilius percipere poſſit.

Qui procuratorem dare non poſſint.

Procuratorem dare non poteſt filius familias ad agendum, niſi eo caſu, quo ipſe ſine aſſenſu patris experiri poteſt, ſed ad ſe defendendum poteſt l. 8. Item Tutores, & Curatores ante litem conteſtatam procuratorem conſtituere non poſ-
5 ſunt, ſed ſolum Actorem l. 11. C. Eod. & Ratio eſt, quia ante litem conteſtatam domini litis non ſunt. Ipſi tamen pupilli, quia Domini ſunt, rectè procuratorem con Tutorum, vel Curatorum auctoritate, conſtituere poſſunt d. l. 11. Sed & Tutores quoque & Curatores poſt litem conteſtatam rectè procuratorem conſtituere poſſunt, quia & ipſi litis conteſtatione domini litis efficiuntur, d. l. 11. Simile eſt in Procuratore, qui ante litem conteſtatam alium Procuratorem conſtituere non poteſt, ſed ſolum poſt, eadem ratione, l. 8. 11, 22. & 23. C. Eod.

Qui

Digitized by Google

Qui ſint effectus mandati procuratorij.

Vnus effectus eſt quod Procurator poſtquā ſuſcepit, ēt inuitus abſoluere, ac exequi mandatum cogitur l. 8. §. fin. & 35. §. vlt. niſi iuſta cauſa ſe excuſare poſſit, vt puta ob valetudinē, aut neceſſariam peregrinationem, aut inimicitias inter ipſum, & dominum exortas, aut munus publicè impoſitum, vel alias occupationes d. l. 8. §. fin. 9. 10. 11. 12. & 13. lata tamen definitiua ſententia inuitus appellationem proſequi non cogitur licet appellare teneatur l. 17. C. Eod. Similiter & Dominus poſtquam conſtituit procuratorem, eius mutandi amplius poteſtatem non habet, ſcilicet, poſt litem cōteſtatam, ſecus ante l. 16. & 17. niſi iuſta ſubſit cauſa, vt puta ætas minus apta negociis, valetudo, & ſimiles de quibus in d. l. 17. §. vlt. con multis ſequentibus inimicitiæ affinitates, con aduerſario contractæ l. 21. con aliquot ſequentibus & ſi Procurator his ſe opponere contendat, ſuſpectus redditur l. 25. in principio. ſi tamen dominus velit cauſæ ſuæ adeſſe non prohibetur l. 69. Secundus effectus eſt, quòd citationes omnes dirigendæ ſunt ad procuratorem, non ad dominum l. 1. C. de ſent. & interlocut. & omnes actus iudiciarii ab illo non à domino ſunt exigendi c. 1. vt lit. non conteſt. c. 1. & 2. de confeſſ. in 6. Alter effectus eſt, quòd Procurator fines mādati diligenter cuſtodire debet, alias ſi exceſſerit Dominus non tenetur l. 10. C. Eod. l. diligenter Infra Mandat. Nec exceſſiſſe intelligitur, ſi ea, quæ coniuncta ſunt con mandata, & ex re mandata pendent, fecerit l. 56. & 62. et ſi generaliter conſtitutus fuerit ad lites, poteſt quæcunque ad litem pertinent exercere, non tamen pacta, & tranſactiones inire l. 7. C. de Tranſact. neque iuſiurandum deferre, aut accipere, cap. 4. de Procurat. in 6. neque propter calumniam iurare auth. principales, C. de iur. iur. propter calumn. dand. quia hæc generali mandato non continentur l. 60. & 63. ſed ſpeciale requiritur d. cap. 4. vel ſaltem generale ſed con libera l. 58. & 59. dicitur autem concedi libera quando ſpecialiter hoc exprimitur l. quam tubcronis §. alia cauſa Infra de Pecul. ſola enim generalis adminiſtratio commiſſa omnium

nego-

Digitized by Google

negociorum non facit videri datam eſſe liberam vt ex eodem tex. conſtat, niſi ſimus in mandato vniuerſitatum in quo tacitè videtur ineſſe l. præſes & ibi Bald. C. de Tranſact. Quartus effectus eſt quod obligatio quæ inter dominum, & procuratorem conſiſtit, mandati actionem parit directam quæ datur domino contra procuratorem, & contraria quæ datur procuratori contra dominum l. 42. §. ea obligatio, & l. 46. §. procurator; Et hæc quo ad primam partem Rubricę, in qua de Procuratoribus agitur. Sequitur Altera Pars, quæ de Defenſoribus tractat.

QVID SIT DEFENSOR.

Defenſor eſt qui Reum tuetur etiam ſine mandato l. 35. §. de-
7 fendere.

Quæ differentia ſit inter Procuratorem, & Defenſorem.

Latior eſt Procuratoris appellatio quam Defenſoris, quia Procurator tàm Actoris, quàm Rei eſſe poteſt. Item tàm in iudicio, quàm extra negocia adminiſtrat. Defenſor autem tantùm in iudicio, & pro Reo agit. Item differunt, quia Procurator ſi non habeat ſufficiens mādatum, & id certum
8 ſit, non admittitur ad agendum etiam ſi de rato cauere paratus ſit Gloſſ. & Bald. in l. 1. C. Eod. Zaz. & Duaren. hic, niſi ſit coniuncta perſona, quæ & ſine mandato, de rato cauendo, experiri poteſt l. 35. & 40. in fine h. t. l. 2. 12. & 21. C. Eod. dixi, ſi certum ſit mandatum, quia ſi incertum ſit, mandatum ſit, nec ne, etiam hoc caſu admittitur Procurator de rato cauendo l. 33. §. ait prætor & l. 39. §. qui alieno, h. t. l. 1. C. Eod. Agendo tamen Procurator etiam defendere cogitur, ſi reconueniatur l. 33. §. pen. & vlt. nam ſicut principalis agens reconuentus nullam excuſationem habet l. 2. §. ſed ſi agant Infra de iudic. ita nec procurator qui loco domini eſt l. 39. in principio quod etiam in coniuncta perſona procedit, quæ ſimiliter ſi agere velit, cogitur defendere l. 35. in principio & 39. §. ſi de dote; aliàs denegatur agendi

actio

actio l.43.§.pen. At defenſor admittitur ad defendendum etiam ſi mandatum non habeat l. 12. C. Eod. quoniam publicè intereſt abſentes à quocunque defendi l.33.§.publicè, dummodo tamen caueat iudicatum ſolui, quia ſine ſatiſdatione nemo idoneus defenſor alterius eſſe poteſt etiam ſi locupletiſſimus & Conſularis ſit l.46. 51.52. & 53. Conueniunt tamen, quia ſicut minores, fœminæ, ac milites procuratores eſſe non poſſunt, ita nec defenſores l.51. & 54. Fallit in filio, qui admittitur ad defendendum patrem, etiam ſi legitimam ætatem non habeat l.12.C. Eod. Et hæc de Procuratoribus qui à priuatis conſtituuntur nunc de his qui à Collegio, vel vniuerſitate creantur, videndum eſt, qui Actores, ſiue Syndici dicuntur, in Titulo.

Quod cuiuſque vniuerſitatis nomine vel contra eam agatur.

Tit. IIII.

1 *Quid ſit vniuerſitas.*
2 *Quibus permiſſum ſit habere vniuerſitatem.*
3 *Qui pro vniuerſitate & agere, & conueniri poſſint.*

QVID SIT VNIVERSITAS.

VNiuerſitas eſt plurium hominum inter ſe diſtantium congregatio, ita contracta, vt vna tantum perſona eſſe appareat, à ſingularibus perſonis ex quibus conſtat, ſeparata l.6.§.vniuerſitatis ſupra de Rer.diuiſ.& hoc eſt quòd vulgò dicitur vniuerſitatem eſſe perſonam repreſentatam,
1 licet quo ad realem entitatem nihil aliud ſit vniuerſitas. quàm homines de vniuerſitate, nam & in vno indiuiduo vniuerſitas conſeruari poteſt, l.7.§.vlt. h. t. ideo & qui pro vniuerſitate interuenit, non pro ſingulis internire dicitur l. 2. & quod vniuerſitati debetur ſingulis non debetur, nec quod debet vniuerſitas ſinguli debent d.l.7.§.1.

Qui-

Digitized by Google

Quibus permiſſum ſit habere vniuerſitatem.

Olim propter ſuſpicionem coniurationum, non omnibus paſſim, Collegia aut vniuerſitates habere permiſſum erat vt Infra de Colleg. & corporib illicit. per totum; ſed paucis
2 admodum in cauſis, vt dicitur in l. 1. h. t. Hodie tamen de conſuetudine in ſingulis ferè opificiorum generibus hoc locum habet, vt in d. l. 1. per Gloſſ. & DD.

Qui pro vniuerſitate & agere, & conueniri poſſint.

Sicut ſingulares perſonæ procuratorem per quem agant, & conueniantur conſtituere ſolent, ita vniuerſitas vnum eligit per quem & agere, & conueniri poſſit, qui Actor, ſeu
3 Syndicus dicitur d. l. 1. Nec enim Procurator propriè dici poteſt, quia nec vniuerſitas ſi ſubtilitatem iuris ſequamur, domina dici poteſt. Nulli igitur permittitur nomine Ciuitatis, vel Curiæ experiri, niſi, cui lex, aut conſuetudo, vel ordo, ſeu vniuerſitas dedit, vel maior pars, cùm duæ partes adeſſent, aut amplius quàm duæ, inter quos & ille qui eligitur, numerari debet l. 3. & 4. ſpectaturque in huiuſmodi electionibus etiam coniunctarum perſonarum ſuffragiũ quod & in honorum petitione ſeruatur l. 5. & 6. in principio. Porrò Actor vniuerſitatis ſi agat compellitur etiam defendere, non tamen de rato cauet niſi ſi de decreto dubitetur d. l. 6. §. Actor; Differunt inter ſe Syndicus, Actor, & œconomus, nam œconomus tantum ab Epiſcopo conſtituitur, & in rebus Eccleſiaſticis, vt in l. iubemus, 2. C. de Sacr. ſanct. Eccleſ. At Syndicus pro qualibet vniuerſitate vt in d. l. 1. h. t. & pro pluribus tantum vt patet ex interpretatione nominis, cui deſeruire debemus l. decernimus, C. de Epiſcop. & Cleric. & l. defenſores; C. de Defenſorib. Ciuit. dicitur enim *Syndicus*. quaſi ſingulorum cauſas dicens. Actor autem dicitur in vna cauſa tantum, licet Syndicus ad omnes vt in l. 6. §. ſed et ſi. Et hæc quidem ita ſe habent in ijs qui mandato domini, vel vniuerſitatis, res procurant alienas; ſed quia ſæpe fit, vt & ſine mandato abſentium negocia interdum præſentes

Digitized by Google

amici vltrò ſuſpiciant, quo caſu actio negotiorum geſtorum oritur, ideo & de hoc dicitur in Titulo.

De Negotijs geſtis. Tit. V.

1 *Quid ſit negotiorum geſtor.*
2 *Directa negotiorum geſtorū actio cui detur cōtra quem, & ad quid.*
3 *Contraria, cui, contra quem, & ad quid.*
4 *Et quando ceſſet negociorum geſtorum actio.*

QVID SIT NEGOCIORVM GESTOR.

Negociorum geſtor eſt is qui abſentis negotia ſine mandato gerit. Vnde vltro citroque naſcitur actio, quæ appellatur negociorum geſtorum; ſed Domino quidem rei geſtæ aduerſus eum qui geſſit, directa competit, negociorum autem geſtori contraria l. 1. & 2. Dixi ſine manda-
1 to, quia ſi quis rogatus aliena negotia gerat, non hæc actio, ſed mandati locum habet l. 20. in fine Infra Mandat. idem ſi in præſentia domini, nam tunc quoque ex mandàto gerere videtur l. 6. §. ſi paſſus ſim. Eod. Tit. Mandat.

Directa negociorum geſtorum actio cui detur, contra quem, & ad quid.

Datur Domino rei geſtæ, & eius hæredi actio negociorum geſtorum, directa contra geſtorem, & eius hæredem, vt rationem reddat, & reſarciat, ſi quid damni ex mala & negligenti adminiſtratione Dominus paſſus ſit d. l. 2. & 3. §. hæc autem actio; nam regulariter tenetur geſtor de dolo, lata, & leui culpa l. 20. C. Eod. de leuiſſima enim, & ſic ad exactiſſimā diligētiam non tenetur, niſi eo caſu quo diligentior aliquis geſturus fuiſſet l. 6. §. videamus. Interdum etiam de dolo, & lata culpa tantùm tenetur vt quando acceſſit ad negotia deſerta l. 3. §. interdum. Caſum autem fortuitum non conſideramus niſi in quibuſdam caſibus veluti ſi nouum negotium,

tium, quod non ſit ſolitus abſens facere, ego nomine eius geram l.11. vel euentus malus culpa mea emergat, l.22.

Contraria negociorum geſtorum actio cui detur, contra quem, & ad quid.

Datur negociorum geſtori & eius hæredi, actio negociorum geſtorum contraria contra dominum rei geſtæ & eius hæredem, ad repetendum id quod impendit neceſſariò, vel
3 vtiliter, ſed non voluptatis cauſa l.2. in fine 3. §. hæc autem 27. & 45. & ſufficit rem cœptam eſſe vtiliter geri etiam ſi non ſequatur euentus proſper. Vt ſi domum tuam fulſi, quę tamen inde corruit, l.10.§.1. & dicitur vtiliter geſtum quādo dominus idem erat facturus, ſecus ſi non erat facturus, ſed potius dimiſſurus, vt fortè quia ei non expediebat d. l.10. in fine.

In quibus caſibus ceſſet negociorum geſtorum actio.

Aliqui tamen caſus ſunt in quibus etiam vtiliter gerens non habet hanc actionem, veluti ſi quis amicitia, aut pietate ductus alterius negotia geſſerit, tunc enim ſumptus eo nomi-
4 ne factos repetere nō poteſt l.44. h.t.l.1.11.13. & 15. C. Eod. niſi de contraria voluntate conſtet, vt quia proteſtatus ſit, vel ſcripſit in libro rationum l.34. h. t. in re tamen dubia æquius eſt ita interpretari, vt actio detur magis, quàm denegetur, d.l.1.11.13. & 15. & ibi Gloſſ. Sed quia olim interdum accidebat, vt alter litigantium malignè pecuniam daret, vel Procuratori, vel cuilibet egregio concinnatori, vt aduerſarium litibus, & impenſis vexaret, & aliquando etiam ipſemet reus pecuniam aduerſario dabat, ne ſibi negotium fieret, ideo vt pœnarum metu, malitioſi, ac iniqui homines à falſis poſtulationibus, fabricandiſque iniurijs detereantur ſubijcitur Titulus.

Digitized by Google

De Calumniatoribus.
Tit. VI.

1 *Quid ſit Calumniator.*
2 *Quæ actio detur contra calumniatores, cui, contra quem, & ad quid.*

QVID SIT CALVMNIATOR.

CAlumniator in criminalibus eſt is qui falſa crimina intendit l. 1. ff. ad S. C. Turpill. in ciuilibus, qui per mendacium, & calumniam agit, vel excipit, l. 1. §. per calumniam, ff. ſi mulier. ventr. nomin. in poſſeſſ. calumn. cauſ. eſſe dicat l. 2. in principio, C. de iur. iur. propt. calumn. dand. & in materia Tit. noſtri, qui per fraudem pecuniam accipit, vt alterum vexet, litem, & cõtrouerſiam
1 ei faciat, vel ne faciat & vexationem iam deſtinatam prætermittat l. 1. & accepiſſe, pecuniam dicitur etiam is qui aliud & qualecumque compendium, pro pecunia accipit, vel etiam pactus ſit d. l. 1. §. vlt. 2. & 3. nec refert an ante, vel poſt cœptum iuditium, vel alius eius nomine, an à me, vel ab alio acceperit d. l. 1. §. qui autem l. 2. §. vlt. & 3. in principio, & ſi fortè quis pecuniam accepit à te vt mihi negotium faceret, & à me ne mihi faceret, tibi contra eum repetitio nulla dabitur, quia turpiter feciſti, at mihi duobus iuditijs tenebitur d. l. 3. in fine.

Quæ actio detur contra Calumniatores cui, contra quem, & ad quid.

Datur actio in factum; & Datur ei, cui pecuniam calumniator extorſit, ne ipſi negotium faceret, vel ei in cuius perniciem accepit ab alio pecuniam, vt negotium faceret l. 3. §. illud. Contra eum, qui calumniæ faciendæ, aut non fa-
2 ciendæ cauſa accepit l. 1. & intra annum in quadruplum pecuniæ acceptæ, poſt annum in ſimplum d. l. 1. Annuſque computatur ab eo tempore quo is contra quem pecunia
acce-

Digitized by Google

accepta eſt, nequitiam nouit. In perſona verò illius qui dedit, ne ſecum ageretur, à tempore quo dedit l. 6. ſed an in quadruplo inſit ſimplum Accurſ. diſputat in l. 5. §. vlt. & verius eſt ineſſe, exemplo actionis vi bonorum raptorum, nam ſpecies quædam rapinæ eſt, per fraudem & calumniam innocentes expilare d. l. 5. §. vlt. Publicanus quoque qui mancipia retinet, & pecuniam, quæ ei non debetur, recipit, hac actione tenetur l. 7. in fine. Hæredi autem non datur, cui ſufficit condictione ob turpem cauſam, repetere quod à defuncto datum eſt l. 4. Neque in hæredem datur, niſi in id quod ad eum peruenit l. 5. Et hæc quo ad præluſorium Actoris, & Rei certamen. Nunc ſequitur vt & de actionibus reſtituendis videamus.

Finis Libri Tertij.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS Pandectarum.

IN hoc libro agitur de actionibus reſtituendis, in quibus ſimiliter tres gradus obſeruare debemus. Primus eſt reſtitutionis in integrum, quæ ſit iure actionis, generaliter in Titulo.

De in Integrum reſtitutione.

Tit. I.

1 *Quid ſit in integrum reſtitutio.* 2 *Qualiter concedatur.*

QVID SIT IN INTEGRVM RESTITVTIO.

REſtitutio in integrum, eſt actus quo læſus aliquis in ſtatu, & iure ſuo, rurſus in priſtino ſtatu, & iure collocatur l. 9. §. ex hoc edicto Infra Quod met. cauſ. Reſtituere enim eſt aliquid reddere, ſeu in
1 priſtinum ſtatum reponere l. 75. & 85. ff. de verb. ſignificat.

QVALITER CONCEDATVR.

Reſtitutio in integrum non conceditur, niſi cauſa cognita l. 3. quæ cognitio, & præſentiam aduerſarij requirit l. 13. §. vn-
2 de tractari, & l. 29. §. fin. Infra de Minorib. & probationem eius propter quod reſtitutio petitur l. vlt. §. ſi fenerator infra

Digitized by Google

fra Quod met. cauſ. & cauſæ propter quas quis reſtitui poſſit, habentur in l. 1. 2. 6. & 7. idonea tamen cauſa non eſt, ſi quis propter minimam rem, reſtitui poſtulet l. 4. Aliter etiã Prætor reſtituit minores quàm maiores, nam minores reſtituit in totam cauſam, quamuis legitime defenſi ſint, maiores verò qui abſuerint Rei P. cauſa, ita tantùm, vt poſſint appellare l. vlt. tranſitque hoc beneficium reſtitutionis etiã ad hæredes l. 6. & olim à ſolo prætore concedi ſolebat l. 3. & 5. hodie tamen à quolibet magiſtratu ordinario peti poteſt l. fin. C. vbi & apud quem & ibi Gloſſ. & DD. & hæc generaliter de reſtitutione, nunc ſpecialiter de ea quæ fit ex cauſa metus in Titulo.

De eo quod metus cauſa geſtum erit.

Tit. II.

1 *Quid ſit metus.*
2 *Quid ſit vis.*
3 *De qua vi, & de quò metu intelligatur edictum.*
4 *Quæ actio oriatur ex hoc edicto.*
5 *Cui detur contra quem, et ad quid.*
6 *Quid de hæredibus.*

AGitur in hoc Tit. de reſtitutione, quæ fit ex cauſa actus, nam cùm qui, vi, metùve promittit, voluntariè promittat, & rigore iuris obligetur l. 21. §. vlt. h. t. quia & voluntas coacta eſt voluntas vt ſcribit Ariſt. Ethic. 3. ideo extraordinario remedio, & ſic reſtitutione opus fuit, per quam reſcindatur id quod per vim, vel metum geſtum fuerit. Sic enim olim edictum conceptum erat. *Quod vi metuſve cauſa*. Sed poſtea vis mentio detracta fuit, ideo quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videatur l. 1. diligenter enim vbique euitant Iuriſconſulti inanem verborum congeriem. Et ſic hæc clauſula; Quod metus cauſa, & vim, & metum continet l. 3.

QVID

Digitized by Google

QVID SIT METVS.

Metus eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepida-
1 tio dicta lege prima.

QVID SIT VIS.

Vis eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt lege ſe-
2 cunda.

De qua vi, & de quo metu, intelligatur Edictum.

Vim accipere debemus atrocem, & quæ eſt contra bonos mores, non quam magiſtratus iure infert d.l.3.§.1. Metum ve-
3 rò accipimus præſentem l.9. neque aduerſatur definitio, quod ſit inſtantis, vel futuri periculi; quia et ſi periculũ futurum ſit, præſentem tamen metum eſſe oportet. Item & qui in hominem conſtantiſſimum cadat l.5.& 6. vt ſeruitutis l.4. mortis l.7. & 8. vinculorum d.l.7. ſtupri d.l.8. §. fin. carcerum l.pen. intellige de carcere illicito, & priuato, non de homine ſimpliciter incarcerato, nec enim hoc voluit, I. C. cum de eo tantum loquatur qui in carcerem aliquem detruxit, vt ab eo aliquid extorqueret, vt ob id ſtultè facere videantur hi, qui dum con incarcerato contrahere volunt, cum è carcere educunt, vt tutius cõtrahant, vt ſcribit Duaren. hic. neque refert poſtea, an in ſe quis metum, vel in coniuge, aut liberis patiatur, cum parentes magis terreantur in filijs quam in ſe ipſis d.l.8.§.vlt. Metus autem reuerentialis non ſufficit, cum de eo nulla ſit mentio, nec in hoc Tit. nec in Cod. & probatur in l.ſi patre cogente iuncta Gloſſa, nam intelligitur, ideſt, imperante, vt per Gloſſ. Abb. & alios in cap.1 .extra de Deſponſat. Impub. Nec etiam ſolius potentiæ dignitatis timor ſufficit l.6 & 8.C.Eod. niſi accedat alia impreſſio, & violentia l.pen. & vlt. C.Eod. Item nec timor accuſationis l.10. C.Eod. nec infamiæ l.7. in principio h.t. nec minarum, niſi capitales ſint, & ab eo effuſæ, qui eas exequi ſoleat l.7. & ibi Gloſſ. & DD. C.Eod. metus enim non iacta-

Digitized by Google

iactationibus, vel conteſtationibus, ſed atrocitate facti probari conuenit l.9.C.Eod. quare vbi facto eſt opus verba non ſufficiunt l.4.ff.de Pecul. nec enim viſum eſt Prætori huiuſmodi hominibus ſuccurri debere, qui vmbram ſuam vt dicitur, timent, nam Regula eſt vani timoris nullam eſſe excuſationem l. vani timoris ff. de Regul. iur. verum benè eſt, quod minor metus in muliere ſufficit, & magis eam excuſat, cap. cum locum & ibi Gloſſ. & DD. de ſponſalib. Iaſ. in l. interpoſitas 13. C. de Tranſact. Hinc Cornel. Tacitus lib. 15. ſcribit, Neronem ratum muliebre corpus minus impar dolori, quam virile, à Libertina tormenta incœpiſſe, laudaturque illius Libertinæ conſtantia, quaſi illa non ſit fœminis communis. D. Hieron. in Epiſt. ad Innocent. Tom.1. meminit cuiuſdam fœminæ, quæ accuſata de adulterio, ſæpiſſimè tormentis ſubiecta adeò conſtans fuit, vt adultero id crimen confitente, ipſa conſtanter negauerit, nec vnquam illud crimen palàm fecerit.

QVAE ACTIO ORIATVR EX HOC EDICTO.

Oritur ex hoc edicto actio dicta Quod metus cauſa, quæ eſt perſonalis in rem ſcripta, & arbitraria l.9.§.volēti, & §.vlt.
4 h.t. Perſonalis, quia ortum habet ex maleficio violentæ cōcuſſionis, neque enim mediocre facinus eſt terrere homines, ac inuitos, ad dandum, vel faciendum aliquid, compellere. In rem ſcriptam, quia ſequitur quemcunque poſſeſſorem rei, & ideò qui vim fecit, tenetur etiam ſi ad alium res peruenerit, quia ex maleficio obligatus manet, & is ad quē res peruenit, ſimiliter tenetur, & ſi alius metum fecerit l. 14.§.in hac actione, & §. Pedius quoque vna tamen ſolutio omnes liberat l.16.in principio. Arbitraria eſt, quia petitur ex bono, & æquo arbitretur iudex quod metu geſtum eſt, vt reſtituatur in integrum, quod ni fiat, in quadruplū Reus condemnetur d.l.14.§.hæc autem actio. Nec ſolum actio ex hoc edicto competit, ſed etiam exceptio, veluti Campani metu illato extorſerunt cautionem pollicitationis à quodam. hic dabitur actio aduerſus Campanos, vt reſcindatur

Digitized by Google

hæc ſtipulatio,& pollicitationis cautio,vel inſtrumentum, et ſi Campani petant dabitur exceptio d.l.9.§.ſed quod prętor ait. Quæ exceptio & ipſa in rem ſcripta eſt l.4. §.metus, ff.de Dol.mal.& met.except.

Cui detur, contra quem, & ad quid.

Datur ei qui per vim, vel metum aliquid dedit, fecit, vel promiſit, ſiue in ſe, ſiue in liberis metum paſſus ſit l.7. 8. §.vlt. & 9.§.volenti. Contra eum qui metum intulit, etiam ſi res ad alium peruenerit Item, & contra eum ad quem res peruenit, & ſi alius metum fecerit l. 14.§ Pedius quoque & ſi plures ſint aduerſus omnes in ſolidum datur,ſed ſi vnus ſoluat, omnes liberãtur ſin autem ab vno minus exactum ſit, in id quod deeſt, cæteri tenetur d.l. 14.§. vlt. & 15. adeò quod & ſeruorum nomine,etiam noxaliter agi poteſt, l.16. §.1.Et datur ad hoc vt metum paſſo, & res, & quidquid illi abeſt reſtituatur, vt puta ſi per vim res tradita eſt, retradatur; ſi interuenerit liberatio, obligatio redintegretur con omnibus acceſſorijs, ſi ſeruitutes amiſſæ fuerint, reſtituantur l.9. §. ex hoc edicto & 10.nec ſolum res, ſed & fructus, qui percepti ſunt, & quos impeditus per metum percipere potuiſſet, adeoque omnia commoda, & emolumenta l.12. ſiue res extiterit, ſiue quomodocunque perierit l.1. C.Eod. Quod tamen locum non habet in eo ad quem non conſciũ illati metus,res peruenerit;nam is interitu rei liberatur,neque ad vllos fructus, niſi perceptos tenetur l.14. §. aliquando. Habet tamen licentiam iuſſus arbitrio iudicis reſtituere Reus vſque ad ſententiam definitiuam reſtitutionem facere, quod ſi non fecerit, condemnatur in quadrupium d. l.14. in principio, & in §. hæc autem actio; qua in re ſatis clementer, vt inquit Vlp.ibi, con Reo agere videtur Prætor,dando ei reſtituendi facultatem, ſi velit euitare pęnam, cum aliàs legibus ciuilibus & ſtricto iure, pœnam debitorum non molliat pœnitentia l.67. ff.de Furt.& ideo ſi non fecerit, ſibi imputare debet, etiam ſi ex alieno flagitio conueniatur, quippe qui maluerit pertinaciter alienum delictum

Digitized by Google

ctum defendere d.l.14.§. Nec cuiquam. Et quod ruplicatur omne quodcumque reſtitui oportet, non autem quod tantum ablatum eſt; & ſic æſtimatio rei con fructibus, emolumentis, & omni cauſa d.l.14.§.1.& §.Labeo ait & 21.§.qui poſſeſſionem. Ineſt tamen in quadruplo, & res metu ablata, ita vt tripli pœna ſit d.l.14. §.quatenus. Durum enim viſum eſt, ſic interpretari quadruplum, vt totum pœnæ inſit, cùm pœnæ potius molliendæ quàm exaſperandę ſint l.pen. ff. de Pœnis. Tunc demum autem quadrupli condemnatio locum habet, cùm intra annum agitur d.l.14.§.poſt annum omnes enim pœnales actiones prætoriæ anno vtili terminantur l.34.ff.de Action.& obligat. Poſt annum verò in ſimplum tantum competit l.4.C.Eod. in qua æſtimatur omne quod agenti abeſt l.14.§.1.& 21.§.qui poſſeſſionem; & hæc cùm ſit rei perſecutoria perpetuo datur l.17.19.& 21. §.1. hodie tamen actiones omnes tàm ciuiles, quàm prætoriæ, antea perpetuę, ſpacio 30.anno, vt aliquis tandem ſit litium finis, terminantur l.3.& 4.C.de Præſcrip.30. vel 40.ann.

QVID DE HAEREDIBVS.

Non ſolum metum paſſis, ſed & eorum hæredibus, & ſucceſſoribus hęc actio competit, etiam in quadruplum l.14.§.alia autem & 16.§. hæc actio. In hæredes autem in id tantùm
6 competit, quod ad eos paruenit, cùm turpiter quęſitum nec apud hæredes permanere debeat l.16. 19.& 20. quo caſu etiam de conſumptis tenentur, nam ſufficit ſemel perueniſſe l.17.quamuis interitum, & caſum hæredes præſtare non teneantur l. 18. Et hæc de reſtitutione, quæ fit ex cauſa metus, nunc de ea videndum eſt, quæ fit ex cauſa doli in Titulo.

Digitized by Google

De Dolo malo. Tit. III.

1 *Dolus duplex bonus & malus.*
2 *Quid ſit dolus malus.*
3 *Quæ actio oriatur ex dolo.*
4 *Quando actio, vel exceptio doli locum habeat.*
5 *Cui detur contra quem, & ad quid.*
6 *Quid de hæredibus.*
7 *Quandiu competat.*

INſcribitur Titulus de Dolo malo, quia veteres etiam bonum dolum dicebant, & pro ſolertia accipiebant, vt puta ſi aduerſus hoſtes, vel latrones quis machinetur l. 1. §. non fuit h. t. vnde illud; Dolus an virtus quis in hoſte requirat,
1 vel ſi aliud faciamus, aliud ſimulemus iuris noſtri, vel etiam alieni tuendi gratia d. l. 1. §. 1.

QVID SIT DOLVS MALVS.

Dolus malus eſt omnis calliditas, fallacia, & machinatio ad circumueniendum, fallendum, ac decipiendum alterum
2 adhibita d. l. 1. §. 1. in dubio tamen non præſumitur, ſed ex indicijs perſpicuis probari debet, l. 6. C. Eod.

QVAE ACTIO ORIATVR EX DOLO.

Ex dolo oritur actio doli, quæ eſt perſonali, arbitraria, & ſubſidiaria, & datur decepto aduerſus decipientem ad conſequendum id in quo deceptus dãno affectus aſt l. 1. & 18. h. t. Perſonalis eſt, quia ex maleficio, & quidem graui: quum do
3 lus ſit omnium delictorum fons ex origo. Arbitraria, quia arbitrario iudicis reſtitutio comprehenditur, & niſi fiat ſequitur condemnatio quanti Actor in litem iurauerit d. l. 18. ſubſidiaria quia non datur niſi in ſubſidium, & quando alia actio haberi non poteſt, quoniam cum famoſa ſit non temere decerni debebat d. l. 1. §. ait prætor cuius rei exempla plura habemus in d. l. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 19. 22. 34. Nec ſolum datur actio doli, ſed etiã exceptio l. vlt. quæ ſimiliter ex perſona

ſona

ſona eius cui obijcitur perſonalir eſt,& propterea vtroquē caſu, deſignari debet cuius dolo malo quid factum ſit l. 16. §. vlt. & 17. ex perſona verò eius qui excipit, eſt etiam in rem ſcripta l. 2. §. planè, ff. de dol. mal. & met. excep.
3 quod non eſt in actione, quæ non in rem, ſed in perſonam, quæ dolum fecit, ſcripta eſt, & differentiæ ratio eſt, quia ex cipiendo non principaliter quæritur de auctore doli, ſed ſolum an in ea re dolo malo aliquid factum ſit d. l. 2. §. planè

Quando actio vel exceptio doli locum habeat.

Vt intelligamus, an & quando hæc actio, vel exceptio locum habeat: diſtinguendum eſt nam aut dolus interuenit in contractu, vel extra, contractum Primo caſu ſi in contractu, rurſus diſtinguendum eſt, nam aut dat cauſam contractui, vel incidit in contractum; ſi dat cauſam contractui, iterum diſtinguendum eſt, quia aut dat cauſam contractui bonæ fidei, vel ſtricti iuris ſi det cauſam contractui bonæ fidei contractus eſt ipſo iure nullus, & nihil valet quod agitur l. 7. adeo vt ſi reſcindatur reſcinditur quatenus de facto proceſſit, non quatenus valeat de iure l. 5. C. de Reſcind. vendit. ſi vero det cauſam contractui ſtricti iuris, contractus non annullantur ipſo iure ſed opus eſt exceptione, ſi nihil adhuc traditum ſit, vel de dolo actio ad reſcindendum ſi traditio facta ſit l. 36. ff. de verb. obligat. At ſi dolus incidat in contractū, quod tunc contingit, quando non ex propoſito, neq; animo fraudādi, ſed re ipſa læſio contingit, dicendū eſt, quod concedatur actio ex eodem contractu, vt in l. 2. C. de Reſcind. vend. & ibi per DD. non autem actio de dolo. Secundo caſu, quando dolus contingit extra contractum; & tunc diſtinguitur in varia maleficia, quæ ſua nomina, & actiones habent, ciuiles, & criminales: vt ſunt furtum, rapina, iniuria, & id genus cetera, & ceſſat hoc caſu actio doli, quia ſatis conſulitur læſo aduerſus malefactorem d. l. 7. in principio, Ceterum ſi dolus non producat delictum ſpeciale, vt ſunt variæ hominum machinationes, tunc neceſſario recurritur ad hanc actionem l. 8. & 32. Quæ tamen cum

gra-

Digitized by Google

grauis ſic non ita paſſim indulgenda eſt , & ideo ſi modica
ſit ſumma,hoc eſt,vtq; ad duos aureos dari non debet l.10.
in fine,& 3.Item nec contra parentes vel patronos,vel per-
ſonas honeſtiores l.12.ſed per actionem in factum ſuccur-
ritur d.l.12.in fine.

Cui detur, contra quem, & ad quid.

Datur circumſcripto, ſeu decepto ex ſua facilitate l.1.& 7.§.
non ſolum. Contra eum qui dolo, vel calliditate decepit
l.8.24.32.35.36.& vlt.niſi ſit perſona,cui pietate,officio,&
5 reuerentia obligemur, aduerſus quas cum ſit famoſa hæc
actio non porrigitur l.1. & 12. & ſi plures ſint qui dolum
commiſerint,omnes in ſolidum tenentur ſi vnus tamen ſol-
uerit cæteri liberantur l.18. & ſi ab vtraque parte dolus in-
teruenerit, dolus con dolo compenſatur l. 37. In alios au-
tem qui dolum non commiſerunt,hæc actio non competit,
niſi quatenus ad eos peruenit l.16 §.pen. & 18. Et datur ad
conſequendum id in quo deceptus damno affectus eſt l. 19.
§. ſi cuius & 32. & in ſimplum duntaxat pro conſequenda
indemnitate l.34. ſed dicet aliquis, eſt ne ergo minus malū
dolus,quam violentia,vt mitiorem habeat perſecutionem,
nec detur in quadruplum, ſicut actio quod metus cauſa?
Reſp.minimè gentium,ſed in ſua quilibet poteſtate habet,
à paucioribus decipi, nec fidere paſſim omnibus; vt ob id
veteres olim dolum non magnopere curarent, cum in ijs
tantum locum habere exiſtimarent, qui ſe decipi pateren-
tur, facillimeque à viro prudente vitari poſſe crederent.
Creſcente tamen hominum malitia, doli vindicandi cauſa
varia propoſita fuerunt remedia à Prætoribus de quibus in
hoc Tit. Non ſic metum euitare,eſt penes metuentem.

QVID DE HAEREDIBVS.

Datur etiam hæredibus circumſcripti, in hæredes autem, &
cæteros ſucceſſores eatenus quatenus ad eos peruenit l. 18.
6 §.vlt.27.& 29.aut quominus perueniret, fraude eorum fa-
ctum

Digitized by Google

ctum ſit l. 28. turpia enim lucra ſunt ſemper ab hæredibus extorquenda vt diximus ſupra Tit. proximo.

QVANDIV COMPETAT.

Olim anno vtili, hodie biennio continuo terminatur l. fin. C. Eod. adeo vt ne litis quidem cōteſtatione perpetuetur. Gl. & DD. ibi Ceterum actio in factum quæ datur in quantum locupletior factus eſt doloſus, vel hæres eius perpetua eſt l. 24. §. at ſi res tum quia ceſſat acerbitas ignominiæ l. 30. cum etiam quia nullo tempore lucrum ex delicto, con alterius damno ſit ſperandum d. §. at ſi res, exceptio autem doli non aduerſus hæredem ſolum, ſed etiam aduerſus ipſum doloſum ſemper competit, & perpetua eſt l. quinta, §. vlt. ff. de dol. mal. & met. except. nec enim infamat, quoniam oppoſita exceptione doli non damnatur Actor, ſed abſoluitur. Reus, & nemo ex dolo infamis eſt, niſi de dolo damnatus ſit l 1. ſupra de his qui not. infam. Perpetuitas tamen hæc non concluditur 30. annis, ſicut in actionibus vt tradit Gl. in l. 3. C. de Præſcript. 30. ann. in verbo perſecutio. & differentiæ ratio eſt quia Actor ſemper in ſua poteſtate habet quando vtatur iure ſuo. Non ſic is con quo agitur habet poteſtatem quando conueniatur, cum illi ſemper expectandus ſit Actor, cuius actionem exceptione præcludat. Vnde cum nulla ei imputari poſſit negligentia: quippe qui excipere non valeat; niſi agatur, nulla etiam ei præſcriptio currere debet l. 5. & 6. C. de excep. & hęc de reſtitutionibus, quæ fiunt iure actionis: nunc de his quæ fiunt officio iudicis videndum eſt in Titulo.

De

Digitized by Google

De Minoribus 25. annis. Tit. IV.

1 *Quis dicatur minor.*
2 *In quibus caſibus minoribus in integrũ inſtitutio detur.*
3 *Qui poſſint in integrã reſtitui*
4 *Quo iure petatur in integrum reſtitutio.*
5 *Ad quid detur in integrum reſtitutio.*
6 *Quid de hæredibus.*
7 *Quamdiu durat.*

QVum inter omnes conſtet, fragile eſſe, ac infirmum minoris ætatis conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, ideo Prætor minoribus 25. annis reſtitutionis auxilium, conceſſit ſi ætatis facilitate capti ac decepti fuerint l.1.& 12.§.ſciẽdum h.t. & quum nulla propria actio prodita eſſet, ipſemet etiam eorum tutelam, & protectionem ſuſcepit l.25. in fine.

QVIS DICATVR MINOR.

Minor dicitur is qui nondũ 25. annũ habet l.5.§.minore intellige completum, non cœptum: neq; obſtat, quod ad honores, & munera ſufficiat tetigiſſe de vltimo anno vt in l.ad rem, ff.de Munerib.& honorib. quia illud procedit fauore Rei, P. vt ſint ſibi legitimi plures qui poſſint eligi, Quinimo nec etiam ſufficit tetigiſſe vltimum diem anni, licet ſecus ſit in teſtamentis l.qua ætate, ff.de Teſtamẽ & in vſucapionibus l.vlt. ff.ne Diuerſ.& temporalibus præſcriptio. in quibus dies cęptus vltimi anni habetur pro completo quia ſicut ibi fauor teſtamẽti vt potius detur teſtamenti cõdendi facultas, quã denegetur, & fauor bonæfidei poſſeſſionis, ne dominia ſint in incerto, id facit, ita, & in caſu noſtro fauor minorum poſtulat, vt eis reſtitutio non denegetur, niſi tempus nouiſſimum, & vltima hora natalis diei præterierit, vt a momento in momentum tempus ſpectetur d. l.3.§.minore. Proinde & ſi biſſexto natus ſit, nihil refert, nã id biduum pro vno die habetur], & poſterior dies calendarum inter calatur, ideſt de medio tollitur, vt pro die non compute-

computetur vt ibi Gloſſ. exponit. Annus enim ex trecentis ſexagintaquinque diebus conſtat; præter quos, ſex horas etiam annus habet, ad perficiendum integrum curſum ſolis, nec enim potuit annus ita conſtitui, vt curſui ſolis omnino congrueret, quin aliquot horæ ſupereſſent, ideo huius errati corrigendi cauſa, ſingulis quibuſque quadriennijs vnus dies inſeritur, quia & ſex horæ quadruplicatæ diem efficiunt, qui biſſextus dicitur idque fit ſexto calendas Martij, hoc eſt, vigeſimo quarto die Februarij, & dicitur biſſextus, quia ſexto Calendas bis in Calendario ponitur, & is dies biſſextus, vt Marcellinus lib. 26. ſcribit, Romanis rebus infauſtus, atque ater erat. Ponamus igitur quòd quis anno biſſextili natus ſit, poſteriori die, non priori, hoc eſt, ipſo intercalari, & deinde anno vigeſimo quinto, die natalis ſui, ideſt ſexto Calendas Martij, eodem momento, & hora, qua natus eſt, quid ab ipſo geſtum ſit; certè ſequens dies expectandus non erit ad hoc vt annos compleſſe dicatur licet poſteriori die intercalato natus ſit, quia vnus dies fingitur eſſe vterque dies, & iſte dies intercalaris con priore confunditur, vnde nihil refert, an priore, vel poſteriore die natus ſit, nec qui priore die natus eſt, citius ad vigeſimum quintum annum peruenit, quàm qui poſteriori die d. l. 3. §. minore h. t. & l. con biſſexto 98. ff. de verb. ſignificat.

In quibus caſibus minoribus in integrum reſtitutio detur.

Minoribus 25. annis in integrum reſtitutio datur l. 1. non etiã maioribus d. l. 1. in fine, ſed quid ſi minor contraxerit & contractus incidat in tempus, quo maior effectus ſit an reſtitutio detur? & dicendum eſt, quod non quia finis inſpicitur: l. 3. §. ſi quis h. t. niſi tamen dolo aduerſarij id factum fuiſſe probetur d. §. ſi quis, vel niſi finis habeat neceſſariam conſequentiam ad principium, nam tunc principium inſpicimus, & ideo ſi minor immiſceat ſe paternæ hæreditati, licèt poſtea maior factus exigat à debitoribus hæreditarijs aliquid, attamen dabitur ei in integrum reſtitutio inſpecto initio d. §. ſi quis in fine: quia exigit non tam appro-

bando, prius factum, quam ex conſequentia eius in captione remanendo. Poteſt igitur minor de eo quod ab ipſo in minori ætate geſtum fuerit, reſtitutionem petere d. l. 1. Niſi maior factus ratum habuerit Tot. Tit. C. ſi maior fact. rat. habuer. vel niſi fallaci mendàcio ſe maiorem dixerit Tot. Tit. C. ſi minor ſe maior. dixer. deceptis enim minoribus, non etiam decipientibus iura ſubueniunt l. 2. Eod. vel, niſi delictum commiſerit l. 10. §. nunc videndum: & 21. neque enim dignus eſt beneficio legis, qui in legem committit l. 38. Non aliter tamen ſubuenitur minoribus, quam ſi cauſa cognita l. 12. §. ſciendum, & rem alicuius eſſe momenti l. 6. h. t. & l. ſcio ſupra de in integr. reſtit. & in ea ſe ætatis facilitate captos probauerint l. 45. quod inter alia eo ipſo eſſe cenſetur, quum compromittunt, l. 35. §. 1. qua in re, & lucri habetur ratio l. 7. in fine, & affectionis l. 36. Quæ cauſæ cognitio facienda eſt etiam præſentibus aduerſarijs, aut ſaltem legitime vocatis, & per contumaciam abſentibus l. 14 §. cauſa autem cognita; Et datur reſtitutio ſiue minores, ſint patres familias, ſiue filij familias, mares, vel fœminæ dummodo ipſorum reſtitui interſit l. 3. §. ſed vtrum, & §. ſi quid & l. 39. §. fin. ad eo quod & filiæfamilias, quæ in dote capta ſit, ſuccurritur d. l. 3. §. ergo etiam l. 10. §. 1. & 50. §. fin. Non tamen datur reſtitutio minoribus alieno nomine, vt procuratorio, inſtitorio, & ſimili negociantibus, ſed imputabitur domino, qui tali commiſit ſua negotia l. 24. in fine. Quod ſi ſponte minor ſe ingeſſerit, reſtituendus erit, ne alius per eum damnificetur l. 25. Aduerſus etiam parem, id eſt, ætate minorem reſtitutio non datur, ſed ſi ambo capti fuerint, potius illi ſuccurritur, qui de damno vitando tractat l. 12. §. item quæritur. Item neque aduerſus libertatem datur l. 10. in fine ſicut nec quando iure communi minor tutus eſſe poteſt, quia remedium ordinarium facit ceſſare extraordinarium l. 17. & quando etiam minor reſtituitur aduerſus aditionem hæreditatis, geſta per eum non retractantur l. 23.

Qui

Digitized by Google

QVI POSSINT IN INTEGRVM RESTITVERE.

Olim reſtituebat Prætor l.25.in fine, Præfectus vrbi l.17.§.vlt. Præfectus prætorio l.18. Præſes in prouincijs l.43. & ſimiles l.19. Hodie omnes magiſtratus reſtituere poſſunt, tàm Delegati, quàm Ordinarij, ſiue iuriſdictionem con adminiſtratione rerum publicarum, ſiue ſolam iuriſdictionem habeant l.vlt.C. vbi & apud quem. Nec ſolum reſtituere poſ-
3 ſunt in alienis cauſis, ſed etiam aduerſus propriam ſententiam d.l.17.§.vlt.& 18. Minores tamen magiſtratus aduerſus ſententias maiorum non reſtituunt, ſicut nec arbitri, nec ſubdelegati l.19.h.t.&l.vlt.C.vbi & apud quem &c.

Quo iure petatur in integrum reſtitutio.

Hæc reſtitutio petitur per officium iudicis, non iure actionis, nam nulla propria actio ex hoc edicto proficiſcitur, nec enim pollicetur Prætor ſe actionem daturum, vt ex edicto de dolo malo, & de eo quod metus cauſa, facit; ſed ſolum, & ſimpliciter dicit, vti quæque res erit, animaduertam, quibus verbis ſignificat Prætor ſe totum negotium cognitioni ſuæ reſeruare d.l.25.in fine, & ibi Gloſſ. & DD. notant, & Duaren.hic in verbo Geſtum eſſe dicetur.

Ad quid detur in integrum reſtitutio.

Reſtitutio in integrum datur ad omne id quod geſtum eſt, in priſtinum ſtatum reſtituendum; ita vt vnuſquiſque tàm minor, quàm is qui con eo contraxit, ius ſuum integrum recipiat, vna con fructibus, vſuris, & omni cauſa l.25. §.reſtitutio 28. §.pen.& l.vlt. & propterea, ſi in parte contractus minor læſus ſit & reſtitutionem petat, licitum erit quoque contrahenti à toto contractu recedere, nec enim ita ſubueniendum eſt minoribus, vt ex alienis incommodis ſua comparent commoda l.49.§.curator.

Digitized by Google

QVID DE HAEREDIBVS.

Reſtitutio datur non ſolum minoribus, ſed etiam hæredibus eorum et ſi maiores ſint l. 19. in fine; Item & in hæredes eo-
6 rum, qui minores læſerunt l. 15. Quinimo in ſubſidium datur etiam aduerſus poſſeſſorem rei licet cum eo contractum non ſit, l. 14. §. interdum 15. & 16.

QVANDIV DVRET.

Olim anno vtili, hodie quadriennio continuò, ab ingreſſu iuſtæ ætatis computando, reſtitutio durat l. vlt. C. de Temporib. in integr. reſtit. quod tempus etiam ex perſona defuncti ſucceſſoribus prodeſt, hoc modo, videlicet, vt ſi minor
7 ſuccedit minori, poſt 25. annum habeat etiam quadriennium l. 20. At ſi ſuccedit maiori, non totum quadriennium habet, ſed id tantum quod ſupererat defuncto ad petendam in integrum reſtitutionem d. l. 20. & hæc de reſtitutione quæ fit ratione minoris ætatis, nunc de ea videndum eſt, quæ ex mutatione ſtatus contingit in Titulo.

De Capite minutis. Tit. V.

1 *Quid ſit capitis diminutio.*
2 *Pro qua capitis diminutione in integrũ reſtitutio detur.*
3 *Ad quid detur.*
4 *Quid de hæredibus, & quandiu duret.*

QVID SIT CAPITIS DIMINVTIO.

Capitis diminutio nihil aliud eſt, niſi prioris ſtatus mutatio l. 1. quæ triplex eſt, Maxima reſpectu libertatis, l. vlt. Me-
1 dia reſpectu ciuitatis l. 5. & Minima reſpectu familiæ l. 3.

Pro qua capitis diminutione in integrũ reſtitutio detur.

Pro maxima, vel media capitis diminutione in integrum reſtitutio non datur, quia ſic capite diminuti, nec etiam conueniri

Digitized by Google

ueniri poſſunt l.2. & 7. §.pen.& vlt. licet aduerſus eos ad quos bona eorum peruenerunt, vtilis actio detur d.l.2.& 7. Sed ſolum pro minima capitis diminutione reſtitutio datur, vt eſt quando quis per adoptionem, vel emancipationem ſtatum mutat. nam cum olim qui emancipabatur in imaginariam quandam ſeruilem cauſam deduceretur, vt habetur in l. 3. §. vlt. conſequenter nulla ciuili obligatione teneri, poterat. Item quia qui arrogabatur con omnibus liberis, & bonis in poteſtatem Adrogatoris tranſibat, innanis reddebatur actio aduerſus eum cùm nihil in bonis haberet. Proinde *Prætor* iniquum eſſe iudicans agendi facultate priuari eos, qui con talibus bona fide contraxiſſent, edictum propoſuit, vt omnes qui con ipſis ante huiuſmodi capitis diminutionem contraxerint, reſtituantur l.2. §. hi qui. ac inſuper etiam decreuit, obligationes illas non perire quæ naturalem præſtationem habent, qualis eſt obli-
2 gatio de dote l.8. & 9. item quæ ex delictis deſcendunt l.2. §.nemo & 7.§.iniuriarum. Sicut neque magiſtratuum, aliorumve publicorum officiorum munera, neque tutelæ excepta legitima, neque legata, quæ in annos, vel menſes ſingulos relicta ſunt, hac capitis diminutione pereunt l.5.§.fin. 6.7.& pen.

AD QVID DETVR.

Per hanc reſtitutionem non reſcinditur tota capitis diminutio, quemadmodum in ſuperioribus reſtitutionum ſpecie-
3 bus fieri videmus; ſed in id tantum, vt actiones priſtinæ iuris ſubtilitate extinctæ reſtituantur l.2. in fine & 7.§. ſi libertate: vt ſic qui capitis diminutionem paſſus eſt, perinde teneatur, ac ſi nulla omnino emancipatio, nullaque adoptio ſequuta eſſet, vt ibi DD. tradunt.

Quid de hæredibus & quandiu duret.

Hoc iudicium perpetuum eſt, & in hæredes & hæredibus datur d.l.2. §.fin. Et hæc de reſtitutione quæ fit ex mutatio ne ſta-

ne ſtatus, nunc & de ea videndum eſt, quæ fit ratione abſentię & ex alijs iuſtis cauſis, quæ tam maiores, quam minores reſpiciunt, de quibus in Titulo.

Ex quibus cauſis maiores 25. annis, in integrum reſtituuntur. Tit. VI.

1 *Quæ ſint cauſa propter quas maioribus in integrum reſtitutio datur.*
2 *Quot ſint abſentiarum genera.*
3 *In quibus caſibus propter propriam abſentiam in integrū reſtitutio detur.*
4 *Quando propter alterius abſentiam detur in integrum reſtitutio.*
5 *Quando ex generali clauſula detur reſtitutio.*
6 *Cui, & aduerſus quem detur.*
7 *Quid de hæredibus.*
8 *Ad quid detur.*
9 *Quandiu competat.*

QVia interdum, & multis modis accidere ſolet, quòd etiam maiores 25. annis lædantur, ideo huic quoque caſui Prætor reſtitutionis benefficium accomodare voluit, edictumque propoſuit de quo in l.1.

Quæ ſint cauſæ propter quas maioribus in integrum reſtitutio datur.

Duæ ſunt. Vna eſt abſentia, aut caſus, vel impedimentum. Altera eſt damnum ex ea re contingens, quæ duo diligenter obſeruanda ſunt, nam vtrumque in petenda
1 reſtitutione allegare oportet; ſcilicet, abſentem fuiſſe, vel aliquid caſu eueniſſe ei, tum quoque damnum ei contigiſſe id quod ſummatim edicto continetur d.l.1.

QVOT SINT ABSENTIARVM GENERA.

Præmittendum eſt ſecundum Gloſſ. in l.fin.h.t. quod quinque ſunt

Digitized by Google

ſunt abſentiarum genera;Prima eſt abſentia neceſſaria, & probabilis, vt in eo qui abeſt cauſa militiæ, vel Rei P.l.1.
2 vel etiam propter infirmitatem l.quæſitum,ff.de Re iudic. Secũda eſt probabilis ſed non ita neceſſaria,vt in eo qui ſtudiorum cauſa abeſt l.28.cui & multa alia priuilegia conceſſa ſunt de quibus in auth habita,C.Ne filius pro patre.Tertia eſt abſentia neceſſaria,tantum,ſed non probabilis, vel forte improbabilis,vt eſt in Relegatis, Exulibus,& his,qui receſſerunt metu criminis. Quarta eſt voluntaria ſimpliciter,vt in Mercatoribus,qui vadunt ad nundinas, & alijs qui ſui commodi cauſa volentes abſunt.Quinta eſt voluntaria,ſed con contumacia,vt in his qui citati non comparent in iudicio,de quibus in l.contumacia,ff.de Re iudicat. Secundo præmittendum eſt,quod quis lædi poteſt,tam ex propria abſentia,quam etiam ex abſentia alterius, & ideo de vtraq; videndum eſt.

In quibus caſibus propter propriam abſentiam in integrum reſtitutio detur.

Reſtitutio in integrum propter propriam abſentiã cõceditur omnibus his,qui ex neceſſaria,& probabili cauſa nõ autem
3 voluntaria abſun t veluti ex cauſa metus l.1.2.& 3.Rei P. d.l.1.& 4.ſtudiorum l.28.ſeruitutis l.11.captiuitatis l.14. vel quia in vinculis l.9.& 10.aut ſub fideiuſſorum ſatiſdatione,d.l.28.ſecus ſi ſponte,& lucri ſui cauſa l.36.& 42,vel neceſſario ſed culpa ſua abſint l.26.Qui autem Romę operam,dant Rei P.cauſa abeſſe non cẽſentur l.5.quamuis milites qui Romę militant pro abſentibus habeantur d.l.5.6. & 7.& generaliter qui Rei P.cauſa abeſſe intelligantur habemus in l.28.32.con alijs ſex legibus ſequentibus 46. & pen.Animaduertendum tamen eſt quod abſens Rei P.cauſa,ſi cum potuerit reuerti,reuerſus non fuerit,reſtitutionẽ non habet l.4. quia tamdiu pro abſente habetur quandiu durat officium,& donec commode redire poteſt l.38. §.1.niſi forte infirmitate,tẽpeſtate,vel alia iuſta cauſa fuerit impeditus d.l.38.præfiguntur q; abſentibus certa tempora

Digitized by Google

pora ad reuertendum, videlicet 20. milliaria pro qualibet die, l. 3 ff. de Verb. ſign. l. 1. ſupra ſi quis caut. ac inſuper ſingulis ſetimanis vnus dies quietis datur, ſi longa ſit itineratio Gl. in c. cupiẽtes de elect. in 6. Iaſ. hic in l. 1. mẽſuratioq; fieri debet per illam viam per quam homines frequentius & vbi minus periculi ſubeſt iter facere ſolent, & ideo ſi duplex ſit via, vna per montes, quæ ſit breuior, alia per planiciem, quæ ſit lõgior, debet fieri per planiciem, Speculat. in Tit. de Citat. §. 1. ſequuntur Bald. Ang. & Iaſ. in d. l. 1. ſupra ſi quis caut. idem eſt, ſi vna eſſet per mare altera per terram nam deberet fieri per terram, licet longior Hoſt. & Ioan. And. in c. olim de except. Ant. Imol. & alij in c. nonnulli de Reſcript. & hoc quia eundi, & redeundi tantum ratio habetur ſecus ſi etiam diſtantiæ ratio habenda eſſet, nam tũc fieri deberet per rectitudinem, & ſi non poſſet fieri per terrã, fieri deberet per aerem, vel ſaltem per ſemitat, & agros, & loca, per quæ facinoroſus quiſq; ire poſſet, vt eſt communis ſententia Bar. Bald. Ang. Salic. Raph. Roman & aliorũ in d. l. 1. prout fatetur Iaſ. ibi licet ipſe, & Paul. de Caſtro contrarium teneant, & Bart. ſequutus eſt etiam Peregrin. conſ. 103. Vol. 1. referens in bannito per 15. milliaria vltra confinia, ita fuiſſe hic Patauij iudicatum. Sed quid ſi non totum tempus præterierit, ſed ſolum poſtquam fuerit reuerſus, cõpletum fuerit, an reſtitutio detur, & ſi quidem modicum tẽpus ſupererat omnes cõueniunt, quod reſtitutio detur l. 15. §. fin. ſed ſi longum, diſſentio eſt non modica tam inter veteres Gloſſatores, quam etiam inter ipſoſmet Doctores Ioã. enim, & Bulgar. antiqui Gloſſatores concedunt reſtitutionem pro tempore abſentiæ, non autem negligentiæ cũ abſentia ſua nemini damnoſa eſſe debeat l. abſentia, ff. de Regul. iur. e conuerſo Martinus, & Placentinus negant aliquos pacto reſtitui debere, cum vigilantibus, & non dormiẽtibus iura ſubueniant d. l. 15. §. vlt. & 16. Accurſ. Dyn. Bart. Bald. & alij communiter in d. l. 18. §. vlt. opinionem Ioann. & Bulgar. ſequũtur Cynus autem Petr. de Bell. pert. & Pau. de Caſtro in l. quod tempore C. de Reſtit. milit. Martin. & Placentin. opinionem tenẽt, & Oldrad. refert quod dominus

nus

nus ſuus Iacobus Balduinus, vno anno tenuit opinionem Ioann. & Bulgar. & altero anno opinionem Martin. & Placenti. quæ etiam litteræ d.l.15. & 16. magis amica videtur; Vt ob id Azo in ſua ſumma in Tit. de Reſtit. milit. dixerit; Ioann. & Bulgari opinionem niti maiori æquitate; Martini verò & Placentini maiori auctoritate. Item ſi is qui abſens eſt cauſa Rei P. affectauerit, vel ſui commodi cauſa in legatione fuerit, ſimiliter reſtitutionem non habet l.5.36.& 42. idem ſi peteret ſe reſtitui ad aliquod damnum quod etiam ſi Rei P. cauſa non abfuiſſet, paſſus fuiſſet l. 44.

Quando propter alterius abſentiam detur in integrum reſtitutio.

Non ſolum illi qui propter propriam abſentiam damnum ſentiunt, in integrum reſtitutionem habent, ſed etiam & hi
4 qui propter alterius abſentiam damnum incurrunt, l. 1. quæcumque illa ſit, neceſſaria, probabilis, voluntaria, vel etiam improbabilis nihil refert, quia non datur reſtitutio ex eo quod aliquid iniuſtè abſens fecerit, ſed quod aduerſarius con eo agere non potuerit l.21.§.1. & ideo ſi abſens procuratorem reliquerit vel aliquis fuerit, qui requiſitus eum defendere voluerit reſtitutio ceſſat d.l.21.22.& 23. quia habuit quos conuenire.

Item reſtitutio datur ſi quis ſecum agendi poteſtatem non fecerit, ſiue id fruſtrandi ſiue non fruſtrandi gratia fecerit l.23.§.vlt.24.& 25. Neque obſtat quòd in poſſeſſionem bonorum eius qui latitat Prætor mittere ſoleat l.23.in fine, vt ob id reſtitutio, quæ eſt remedium extraordinarium ceſſare debeat l.in cauſæ, 2. ſupra de Minorib. quia non ſemper quis in bona latitantis mitti poteſt vt dicit tex. & ibi declarat Gloſſ.in d.l.23. in verbo non poſſit, vnde cum plenius prouideatur per reſtitutionem, non eſt mirum ſi extraordinarium remedium per ordinarium non ceſſet. Item datur quoque reſtitutio ei qui damnum paſſus ſit ex eo quod non potuerit in ius vocare eum quem vocare non licebat, veluti Conſulem, Prætorem, cæteroſque qui imperium & poteſta-

Digitized by Google

tem habent l.26.§.1.Sic & ſi per negligentiam, vel dolum iudicis contingat, vt pereat ius agendi reſtitutio datur, ſecus ſi culpa Actoris,d.l.26.§.ait prætor. Propter ferias quoque repentinas ſi aliquis lædatur,datur reſtitutio,ſecus propter ſolennes d.l.26.§.ſi feriæ, quæ tamen reſtitutio duntaxat ipſorum dierum faciendo eſt,d.§.ſi feriæ.

Quando ex generali clauſula detur reſtitutio.

Prætor generalem clauſulam edicto ſuo inſeruit,ſi qua alia iuſta mihi cauſa videbitur;quę ad vtrumque caput edicti pertinet, nempe, & ad primum quo alicui propter propriam
5 abſentiam ſuccurritur, & ad ſecundum quo ſuccurritur his quorum ius læſum eſt ob abſentiam aliorum.huiuſque clauſulæ mentio eſt in l.26.§.vlt. & ll.ſeqq. in quibus docet I.C. varijs exemplis quid contineatur dicta clauſula; paſſimque & alia occurrunt in iure noſtro exempla,quæ debent obſeruari,vt in l.1.§.ſi quis infra de itiner. actuque priuat.in l.Pāthonius infra de Acquir.hæredit. in l.Præſes, C. de Appellat.& per Tot.Tit.C.de vxorib.milit. alijque quotidie caſus occurrunt, qui non poſſunt ſigillatim tradi, in quibus ſequenda eſt Regula quæ traditur in d.l.26.in fine, vt quoties ęquites reſtitutionem ſuggerit ad hanc clauſulam generalem ſit deſcendendum,niſi lex prohibeat l.28.§.1.

CVI ET ADVERSVS QVEM DETVR.

Datur tam abſenti contra præſentem, l.1.2.&4. quàm præ-
6 ſenti contra abſentem l. 21. & 22. Quinimo & abſenti contra abſentem l.vlt.

QVID DE HAEREDIBVS.

Datur & hæredibus & in hæredes l. 30. & quia in rem ſcrip-
7 tum eſt,datur etiam aduerſus alios poſſeſſores l.17.& 30.

AD QVID DETVR.

Datur ad hoc vt ſi quis propter propriam, vel alterius abſen-

tiam,

Digitized by Google

tiam aliquid amiſerit,vel lucratus non fuerit,reſtituatur, ei actio, vt omne id quod amiſit, vel lucratus non fuit, conſe-
8 qui poſſit l.27.niſi lucrari velit ex alterius pœna, vel damno l.18.auxilium enim reſtitutionis perſecutionibus pœnarum non eſt paratum l.auxilium ſupra de Minorib. nec ſolum reſtituitur,actio, ſed etiam exceptio ſi rem poſſideat l. 28. §.pen. habeturque in tali reſtitutione etiam ratio fructuum d.l.pen.§.vlt. ſicut è contra & adiuncti oneris l.41.

QVANDIV COMPETAT.

Temporale eſt remedium, quoniam vltra quadriennium nemini eſt ſperanda reſtitutio in integrum l.fin.C.de Temporib.in integ. reſtit. quod tamen ita computari debet vt proponatur reſtitutio intra tantum temporis ex conceſſo qua-
9 driennio,quanti temporis eſt læſio, vt puta, rem tuam poſſedi vno minus die ſtatuto in vſucapionis tempore, deinde Rei P.cauſa abeſſe cœpi, reſtitutio vnius diei aduerſus me facienda eſt quia non plus etiam quam vno die grauaris, l. 26.§.quoties. Et hæc de reſtitutionibus quæ fiunt officio iudicis; Verum quia non ſolum beneficio reſtitutionis, ſed & iure actionis nobis ſubuenitur contra eos qui iura noſtra deteriora faciunt,ideo ſubijcitur hic Titulus.

De Alienat. iudic. mutand. cauſa facta. Tit. VII.

1 *Quæ requirantur ad hoc vt edicto locus ſit.*
2 *In quibus caſibus edicto locus non ſit.*
3 *Ad quid detur.*
4 *Quid de hæredibus.*
5 *Quandiu duret.*

DVm omnibus modis id agitur ne cuius cauſa deterior fiat,ſubuenitur etiam ex edicto Proconſulis aduerſus eũ qui alienando rem, alium nobis aduerſarium ſuo loco ſubſtituerit, idque data opera in fraudem noſtram fecerit

Digitized by Google

l.1.veluti ſi in alterius prouinciæ hominem cuius forum nos ſequi oporteat d.l.1.in fine & 3. ſi in potentiorem cui pares eſſe non poſſimus d. l. 1. (priuatum intelligo, quia ſi in magiſtratum alienet aliumve publica poteſtate præditum; alienatio eſt ipſo iure nulla l. 1. 2. & Tot. Tit. C. Ne liceat potent.) vel in alium qui nos vexaturus ſit l. 2. aut quoquo modo deteriorem conditionem noſtram facturus l. 3. & 4.

Quæ requirantur ad hoc vt edicto locus ſit.

Tria requiruntur Primo vt iudicij mutandi cauſa, quod futurum ſit, alienetur l.4.§.1.& 9.§.ait prætor quia ſi iam cęptū eſſet iudicium alia ratione alienari non poſſet, ſcilicet, quia res eſſet litigioſa Tot.Tit. C.de litigioſ. Secundo quod dolo malo, & per fraudem d.l.4.§.1. Tertio quod interſit Actoris
1 l.5. §.vlt. Animaduertendum tamen eſt, quòd licet alienationis verbum tranſlationem dominij ſignificet l. alienatū, ff.de verb.ſignificat. Attamen hoc in loco latiorem ſignificationem habet, vt & ſolam etiam poſſeſſionem, & actionis ceſſionem comprehendat l.4.in fine 5.9.& 12.

In quibus caſibus edicto locus non ſit.

Excuſatur ab hoc edicto, qui ob valetudinem, ætatem, vel alias occupationes litem in alium transfert l.5. §.1. Item qui alienat bona fide, vt vexationes litium euitet l.4. §.1. qui ſe iudicium ſubire proponit, etiam ſi alienauerit l 3. §.vlt. qui hæredem inſtituendo, vel legando alienat l.9. § alienare;
2 qui venditori redhibet animal l.9. in fine & 10. qui obligatus ſoluit quod alius petere volebat, l.11.

AD QVID DETVR.

Datur ad id quanti noſtra intereſt alium aduerſarium non ha-
3 buiſſe d.l.1.3.§.pen. & 5.§.vlt.

QVID

QVID DE HAEREDIBVS.

Hæredi datur, in hæredem autem, vel ſimilem ſucceſſorem non datur, quia licet perſecutionem rei contineat, vi-
4 detur tamen ex delicto dari l.5.in fine 6.& 8.

QVANDIV DVRET.

Intra annum non poſt annum datur l. 7. & annum vtilem intelligo vt in omnibus reſtitutionibus, quamuis alij diſſentiant, & conſequenter etiam hodie quadriennium conti-
5 nuum l.vlt. C.de Temporib. reſtit. ſed quid eſt, quod Caius I. C. in l. 1. non Prætoris, ſed Proconſulis edictum vocat? Reſpondeo; Proconſules in Prouincijs perinde atque Prætores Romæ proponebant edicta, quæ prouincialia dicta fuerunt Vlpian. & Paul .edictum vrbanum interpretantur l.4. §.non tamen & l.9.§ ait prætor. Caius prouinciale l. 1. h.t. l.27. ſupra de Dolo l.28. §.1. ſupra de Minorib. & hæc de præparatorijs iudiciorum.

Verum quia deficientibus in integrum reſtitutionibus ſæpe etiam Arbitri eligi ſolent, vt vel hac ratione ad magiſtratus, & iudiciorum ſtrepitus non deueniatur, litiumq; ſumptus, & cætera incommoda euitentur ideo annectitur Tit.

De Receptis arbitris, & qui arbitrium recipiunt, vt ſententiam dicant.

Tit. VIII.

1 *Quid ſit Arbiter.*
2 *Quid ſit arbitrium.*
3 *Quid ſit compromiſſum.*
4 *Quot ſint arbitrorum genera.*
5 *Qualiter arbitri eligi debeant.*
6 *Quid ſit arbitri officium.*
7 *Qui ſint effectus compromiſſi.*
8 *Qualiter finiatur compromiſſum.*

QVID

QVID SIT ARBITER.

ARbiter eſt perſona priuata,cui tanquam viro bono controuerſiam iudicandam credimus l.3.§.pen.37.§.quæſitum,& 49. In eumque ita compromittimus, vt quicquid ſtatuerit,ratum, atque firmum,& pro iudicato habea-
1 tur l.32.§.ſtari & §.fin.vt non immeritò dicantur, compromiſſa ad ſimilitudinem iudiciorum eſſe redacta l.1.

QVID SIT ARBITRIVM.

Arbitrium ſignificat opinationem & iudicium boni viri l.22.
2 ff.de Regul.iur.l.1.ff.de legat.1.

QVID SIT COMPROMISSVM.

Compromiſſum eſt conuentio partium ſuper controuerſijs per Arbitros finiendis; Sic dictum ab eo quod litigatores
3 compromittere, hoc eſt, ſimul & inuicem pœnam promittere ſoleant niſi ſententiæ arbitri ſtetur l.2.35.43. & 44. cum pluribus alijs.

QVOT SINT ARBITRORVM GENERA.

Tria ſunt Arbitrorum genera. Alij enim dicuntur Arbitri iuris, Alij Arbitratores, & alij Compromiſſarij. Arbitri iuris ſunt hi qui eliguntur ex neceſſitate iuris veluti cum aliquis
4 iudex allegatur ſuſpectus, tunc enim ex neceſſitate iuris eligi debent Arbitri, qui de ſuſpicione cognoſcant, & de his non loquitur Titulus iſte, ſed de ipſis habetur in l.fin. C. de iudic. in cap. ſuſpicionis extra de Offic. Delegat. & in cap. ab arbitris Eod.in 6.idem eſt, ſi ex forma ſtatuti cauſæ inter aliquos compromitti debeant,nam & tales Arbitri, dicuntur Arbitri iuris.Secundum Abb.in cap.cum dilectus extra de Arbitr. Arbitratores ſunt qui aſſumuntur a partibus de iure,& de facto, coram quibus non eſt neceſſe quod ſeruetur ordo aliquis iudiciarius; vnde & amicabiles etiam compoſitores

Digitized by Google

poſitores potius,quam iudices dicuntur Bart.in l. ſi quis arbitratu, ff.de verb. obligat. Arbitri Compromiſſarij ſunt, qui de partium conſenſu eliguntur & in quos ſub pœnę nomine compromittitur,& de his habemus in hoc Tit. & iſti tenentur iuris ordinem ſeruare cum talia arbitria ſint redacta ad inſtar iudiciorum vt dicitur in l.1.

QVALITER ARBITRI ELIGI DEBEANT.

Poſſunt Arbitri eligi, aut Vnus, aut Plures duntamen impar ſit numerus,aut ita prouideatur, vt in caſu paritatis, tertius aſſumatur,qui lancem vergat, ideſt, ad alteram partem inclinet, quia aliàs res ferè ſine exitu futura eſſet propter na-
5 turalem hominum ad diſſentiendum facilitatem l. 19. §. pen.& vlt.& ſi tres fuerint electi,.vno abſente, alii duo cognoſcere non poſſunt l.19.§.1. licet ſi omnes præſentes eſſent,ſententia duorum præualeret l.20.& ratio eſt,quia potuiſſet præſentia vnius eos in aliam ſententiam trahere d. l.20.idque ſcriptum eſt etiam de iudicibus in l.21.intelige, niſi in compromiſſo expreſſum ſit,vt quilibet ſeorſim poſſit l.37.§.cum in plures. Quod ſi omnes interuenerint, & diuerſas ſententias omnes dixerint, nulli eorum ſententiæ ſtabitur l.32.§.ſi plures. Illud tamen quæſitum eſt, quid ſi ex tribus arbitris,vnus in xv.alius in x.tertius in v.condemnet,an ſententia valeat,& reſponſum eſt in quinque valere, quia in hanc ſummam omnes conſentiunt d.§.ſi plures. Cogi tamen nemo poteſt arbitrium recipere, ſed ſi receperit, cogitur arbitrium dicere, niſi iuſtam excuſationem habeat l.3.§.tametſi. Aliqui etiam ſunt qui arbitri eſſe non poſſunt de quibus in l.7.§.1.9.46.& pen.

QVID SIT ARBITRI OFFICIVM.

Officium & poteſtas arbitri tota ex compromiſſo pendet, vt non aliud ei facere, vel ſtatuere liceat, quàm quod in ipſo
6 compromiſſo cautum ſit l.35.§.de officio. Et ideo, ſiue de re dixerit ſententiam de qua non eſt compromiſſum, ſiue

aliter

aliter dixerit, quam eſt compromiſſum non valet l.23. 25. 26.§.plenum,& 30.ſimiliter non valer, ſi incertam ſententiam dixerit d.l.25. §. Pomponius. Neque obſtat quod eadem lege dicitur in §. ſi arbiter, valere ſententiam, ſi Arbiter ita pronunciauerit, nihil videri Titium debere Seio, quia hic fuit mos ſententiarum pronunciandarum; ſibi ita videri, vt docet Cicer. lib. 4. Academicar. quæſt. volens oſtendere morem maiorum Academicorum, & teſtes ita dicere ſolitos eſſe teſtimonium ſibi ita videri. Ita enim omnia incerta eſſe in rebus humanis, vt nemini facilè liceat dicere, ſibi conſtare, vt oſtendit in Orat. Pro Fonteio: & exẽpla huius veteris moris pleraque reperiuntur in iure ciuili vt in l.diui fratres, ff.de liber.cauſ.& in l.1.ff. de ventr. inſpic.nec tunc incerta eſt ſententia, quia exprimit certam quantitatem quod viſum fuit iuris auctoribus ſufficere.

Diebus tamen feriatis, Arbiter ſententiam dicere non poteſt l. 14.§. vlt. niſi auctoritate Prætoris l.41. aut de conſenſu partium l.1.ſupra de Ferijs, vel niſi dies compromiſſi exitura eſſet nec proferri poſſet d.l.14 §.vlt. quod tamen intelligi debet de feriis meſſium, & vindemiarum, ſecus de feriis conſtitutis in honorem Dei, in quibus nullo tempore ſententia dici poteſt, vt notatur in l.omnes, C.de Feriis.

QVI SINT EFFECTVS COMPROMISSI.

Effectus compromiſſi eſt, vt ſi compromiſſo, vel arbitri ſententiæ non ſtetur, pœna adiecta committatur l.35.43. & vlt. qua præſtita licet à iudicatis recedere auth.decernit, C.eod. quod ſi compromiſſo pœna adiecta non ſit, ſed ſimpliciter ſententiæ ſtari quis promiſerit, incerti aduerſus eum, ſeu ad intereſſe, vt Gloſſ.ibi exponit, agendum erit, l.32.§ fin.

7 quia qualem ſententiam dixerit arbiter, ei ſtandum eſt l.25. ſiue æqua, ſiue iniqua ſit, & ſibi imputare debet, qui compromiſit l.32.§.ſtari. Aliqui tamen caſus ſunt, in quibus etiã ſi Arbitri ſententiæ non pareatur, pœna tamen ex compromiſſo non committitur, de quibus in l.3.44.& 45. Sicut & alii ſunt, in quibus arbiter ſententiam dicere non cogitur

Digitized by Google

tur, de quibus in l. 7. §. 1. 13. 14. 16. 17. 40. Hodie autem ex ſententia arbitri pœna non adiecta, & actio, & exceptio datur ſi partes ſubſcripſerint, ſententiæ, & eam laudauerint, vel ſi intra decem dies non contradixerint, quæ dicitur homologatio l. 4. & 5. C. Eod.

QVALITER FINIATVR COMPROMISSVM.

Finitur compromiſſum, poſt lapſum diei, ſi diem habet l. 30. niſi omnium voluntate prorogetur l. 37. in fine & 38. Quod ſi dies finita ſit, intra quam arbiter ſententiam dicere ſine cauſa diſtulerit, prorogato per partes compromiſſo, cogi-
8 tur & ipſe denuo arbitrium recipere, & cauſam finire, alias non cogitur, niſi ſpontè recipiat l. 16. ſi verò compromiſſum diem non habet, ex lapſu temporis non finitur, niſi lis ſit conteſtata; tunc enim triennio finiretur vt iudicia l. properandum, C. de iudic. Secundò ſi arbiter, vel alter ex litigantibus moriatur ſimiliter compromiſſum expirat, niſi hæredis ab vtraque parte mentio facta ſit, l. 22. §. 1. ſecus ſi ab vna parte tantum l. 44. §. vlt. Quod ſi pupillus hæres eſſet, ex compromiſſo agi non poſſet, niſi cum tutoris, vel curatoris auctoritate l. 40. & 42. Tertiò ceſſat compromiſſum ſi Arbiter inimicus appareat, & teſtationibus conuentus ſit, ne ſententiam dicat l. 37. §. cùm quidam. Quartò ſemel commiſſa pœna l. 39. §. vlt. vel accepto lata l. 13. Quintò, re ad iudicium deducta, licet à pœna deducens immunis non ſit l. 35. Et hæc de receptis arbitris, vt ex fide fiant, nunc & de receptis in cuſtodiam rebus, vt ex fide reſtituantur, videndum eſt in Titulo,

Digitized by Google

Nautæ Caupones, Stabularij vt recepta reſtituant.
Tit. IX.

1 *Quis dicatur nauta, caupo, & ſtabularius.*
2 *Quæ actio detur ex hoc edicto.*
3 *Cui detur, & contra quem.*
4 *Quid de heredibus.*
5 *Ad quid detur.*
6 *Quandiu competat.*
7 *Quæ ſit vtilitas harum actionum.*

Quis dicatur Nauta, Caupo & Stabularius.

QVamuis nautæ appellentur omnes, qui nauigandæ nauis cauſa, in naui ſunt, vt magiſtri, & alij attamen in hoc Titulo nautam dicimus eum, qui nauem exercet, id eſt, dominum nauis, l. 1. h. t. l. 1. infra de Exercitor. & nauigij appellatione, & rates, lintres, ac cætera id genus
1 continentur d. l. 1. §. de exercitoribus. Caupones & Stabularios eos intelligimus qui Cauponam, aut Stabulum exercent, vel eorum inſtitores, & miniſtros d. l. 1. §. 1. Stabularij enim ſunt, qui permittunt iumenta apud ſe ſtabulari, & ſic hoſpitatores hominum æquitantium, ſicut & Caupo viatorum l. 2. Indifferenter tamen pro dominis diuerſoriorum ſine delectu accipiuntur vt Zazius hic.

QVAE ACTIO DETVR EX HOC EDICTO.

Duæ ſunt actiones quæ ex hoc edicto dantur. Vna dicitur in factum de recepto l. 3. §. fin. quæ perſonalis eſt ex contractu: nam ſimul atque nautæ, caupones, vel ſtabularii recipiunt aliquem con rebus, vel res ſine perſona, cenſentur ipſo contractu conſentire vt ſaluæ reſtituantur. Et ideo conueniri poſſunt, etiam ſi ſine eorum culpa res perierit. vel damnum datum ſit; niſi fato, aut vi maiore contigerit d. l. 3. §. At hoc edicto, Qua in re non ſolum factum proprium, ac omnium

eorum

Digitized by Google

eorum quorum opera vtuntur, quos ſuo periculo haud dubiè adhibent, præſtare tenentur, ſed etiam vectorum, & viatorum, quos obiter traiiciunt, vel repentino hoſpitio recipiunt l. 1. §. fin. 2. & 3. niſi prædixerint quod vnuſquiſque res ſuas ſeruet, & viatores proteſtationi conſenſerint, l. fin. §. 1. vel extra negocium proprium receperint d. l. 3. §. cæterum. Recepiſſeque cenſentur non ſolum cùm eis adſignatæ ſunt res cuſtodiæ gratia, ſed & ſi illatæ duntaxat fuerint in nauim cauponam, vel ſtabulum, ſciente tamen exercitore. nam ignorantem obligari nimis durum eſſet l. 1. § vlt. vbi Accurſ. quoque ſic rectè ſentit argumento l. quicunque §. quòd ſi ſeruus, C. de ſeru. fugit. & l. 1. & 2. C. de his qui latron. vel alter. crimin. reos occult. ipſo enim facto qui immittit teſtatur ſe, ſuaque fidei, ac cuſtodiæ eorum committere, ipſique ſilentio atque exercitio quaſi profitentur, ſe, ſuamque nauim, aut diuerſorium idoneum eſſe, cui tutò res credantur. Altera eſt in factum actio furti, qua tenetur nauta, caupo, & ſtabularius ob furtum in naui, caupona, aut ſtabulo, ab his qui de eius familia ſunt commiſſum l. 6. §. in factum quæ & ipſa perſonalis eſt, ex quaſi maleficio, cum aliquatenus culpæ rei ſint, quòd opera malorum hominum vtuntur l. vlt. h. t. l. vnica infra Furti aduerſus naut. caupon. & ſtabul. & §. pen. Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi delict. naſcunt. & ſi plures ſint qui nauem exerceant, vnuſquiſque pro parte qua nauem exercet, tenetur d. l. vlt. §. ſi plures, dummodo in naui, caupona, aut ſtabulo damnum datum ſit, ſecus ſi extra licet à nautis vel nautæ inter ſe ſibi damnum dederint, niſi quis nauta, & mercator eſſet d. l. vlt. & ibi Gloſſa. Ex facto autem viatorum, qui repentino hoſpitio recipiuntur & quorum conditionem probabiliter ignorare potuit Exercitor hac edicti parte nō tenetur cùm nullius culpæ reus argui poſſit d. l. 6. §. in factum, licet altera parte quæ ex contractu deſcendit, teneatur vt ſupra diximus, & probat Gloſſ. in d. §. in factum in verbo pertinet.

CVR DETVR, ET CONTRA QVEM.

Prima actio quæ de recepto dicitur datur ei, qui res ſuas, vel

alienas, ſi ſua interſit, in nauem, cauponam, vel ſtabulum intulit d.l.1.§.1.& vlt. Aduerſus, nautas, caupones, & ſtabu-
3 larios, etiam ſi ſine eorum culpa res perierit, vel damnum ab aliis etiam qui in naui, caupona, aut ſtabulo, diuerſantur, datum fuerit d.l.1.§.vlt. 2. & 3. Altera in factum actio furti competit domino rei ſubreptæ vel ei cuius intereſt rem non ſurripi d.l.1. §.fin.& 6. §. in factum. Aduerſus nautas, caupones, & ſtabularios, ſi aliquis eorum quorum opera vtuntur, furtum fecerit, aut damnum dederit, ei qui res ſuas credidit, ſecus ſi alii d.l.6. & vlt. Poteſt etiam furtum damnumve paſſus, furti, vel damni iniuria actione vti con nautis vt certi hominis factum arguat, ſed vna electa contentus eſſe debet, nec ad aliam redire poteſt, ne ſæpius de eiuſdem hominis admiſſo quæratur u.l.6. §. vlt. Quod ſi Exercitor ex recepto periculum cuſtodiæ rei ſubiit, tunc furti actionem nō dominus, ſed ipſe exercitor habebit, modò ſit ſoluendo l.4.

QVID DE HAEREDIBVS.

Actio de recepto, quia rei perſecutionem continet, & hæredi, & in hæredem datur l.3. §. hæc autem actio. Altera autem
4 quæ ex quaſi maleficio competit, aduerſus hæredem non datur, d.l.vlt. § hæc iudicia, nihil tamen exercitori proderit, ſi is qui furtum fecit, poſtea deceſſerit, d.l.vlt. §.hac autem actione.

AD QVID DETVR.

Actio de recepto quia rei perſecutionem continet, in ſimplum datur d.l.3. Altera verò in factum actio furti in duplum l.1. §.in duplum infra Furti aduerſ.naut.caup. & ſtabul.

QVANDIV COMPETANT.

Actio de recepto eſt perpetua prorſus d.l.3.§.hæc autem actio. Altera in factum poſterior, tantùm eſt perpetua, quatenus

ad rei

Digitized by Google

ad rei perſecutionem attinet, annalis ad pœnam l. vlt. §. Hęc iudicia, & ibi Gloſſ. Neutra tamen infamat, quia competunt, aut ex contractu, aut propter factum familiæ.

QVAE SIT VTILITAS HARVM ACTIONVM.

Licet non deſint aliquando ciuiles actiones cùm inferuntur res in nauem, cauponam, aut ſtabulum: vt puta locati ſi merces interuenerit, depoſiti, ſi gratis receptæ fuerint, &
7 legis Aquiliæ ob damnum iniuria datum. Attamen maior eſt harum actionum vtilitas, quia in locato culpa, in depoſito duntaxat dolus præſtatur. At hoc edicto omnimodo qui recepit, tenetur etiam ſi ſine eius culpa res perierit, vel damnum datum ſit, vt ſuprà diximus. Idque fecit Prætor, quia niſi ſic fuiſſent conſtitutæ actiones: nullam haberent viatores rerum ſuarum ſecuritatem, dareturque anſa contrectandi temerarijs hoc genus hominibus, quorum hoſpitia, ac fidem ſequi neceſſe habent, quod genus inſolens, ac improbum reputatur, vt ob id nonnulli Rubricam hanc trium latronum Rubricam eſſe dixerint.

Et hæc ſunt primaria quædam iuris principia, quatuor primis libris concluſa, quæ vt nihil ante ſe habent, ita ſequentibus intelligendis neceſſaria ſunt, tanquam ſua Concluſionibus principia. Et quia principijs iuris conuenit etiam ſcire cur Digeſta gemino, ff. notentur, deo & de hoc aliqua dicere operæpretium eſſe duxi.

Cur Digeſta gemino, ff. notentur.

Digeſta cur hac figura ff. ſcribantur, cum nullum f. ſit in verbo digeſta, nec in verbo Pandectæ, multi explicare nituntur. Cattellanus Cotta, in opere ſuo, quod memorabilia inſcripſit, in verbo Pandectæ, dicit, ita ſcribi, quaſi dicas, facta fuerunt, videlicet hæc digeſta à nobis Iuſtiniano:

opus

Digitized by Google

opus planè deſperatum, & quod ab alijs pluribus tentatũ fuit. Alij exiſtimant duplex ff. fabre factum ſignificare, quaſi Iuſtinianus hoc modo allicere voluerit ad legendos ſuos libros ingenioſos, & artificioſè factos, Alii volunt, quòd duo ff. ſignificent, vnum Federicum patrem, alterum Federicum filium, quia ambo hi Imperatores fuerunt, qui iuriſperitorum reſponſa ex diuerſis mundi partibus in digeſtorum libris congregarunt, ideo ad denotandum quòd digeſtorum libri collecti fuerint ab his duobus Federicis, ponuntur duo. ff. Hæc opinio quamuis à doctiſſimis viris recepta, attamen nullo modo mihi probari poteſt, ea potiſſimum ratione, quia Iuſtinianus fuit ille, qui Iuriſconſultorum reſponſa collegit, nec aliquem reperio ante Federicum Barbaroſſam qui regnauit ab anno Domini 1153. vſque ad annum 1190. hoc nomine nuncupatũ fuiſſe, ſed ipſe huius nominis primus fuit, ſucceſſoreſque habuit filios duos, vnum Henricum vi. alterum Philippum, & poſtmodum ſucceſſit alter Federicus, nepos. Alciatus igitur vir magni nominis aliter ſentit, exiſtimat enim antiquos ſub græco nomine Pandectarum libros adducere ſolitos fuiſſe, idque credibile eſt factum fuiſſe, cum Græci ipſi confractores fuerint. Vnde cum primam tantùm notam, videlicet π. cum accentu (ſicut vocant) circunflexo deſcriberent, ſicq; prima tantùm litera notarent, latinos noſtros eos imitari voluiſſe credendum eſt. At ſcriptores librarij, qui literas ignorabant, exiſtimarunt eſſe binas ff. in quam figuram poſtea facilè fuit adiecto vnco, græcã notam deprauare. Hãc opinionem damnat Rebuffus in principio Pandectarum, ea potiſſimum ratione, quòd cum huiuſmodi libri ſemper ita inſcribi ſoleant, Digeſtorum, ſeu Pandectarum, & ſic verbum digeſtorum ſemper præponatur verbo Pandectarum vt videre eſt in l. 2. §. ſed cum, C. de veter. Iur. Enucleand. in proœm. Digeſt. Inſtit. & omnibus alijs in locis, ideo ſi in principio appoſuiſſent. π. non notaſſent primis literis, pro vt mos antiquorum fuit, vt docet Valer. Probus in ſuo compendio, de ſcripturis Antiquorum, ſed litera D. pro more veterum potius annotaſſent digeſta, cum digeſtum præcedat Pandectas. Credit igitur ipſe Rebuffus, quòd libri digeſtorum à principio notati fuerint duplici ff. & quia librarij putarunt

runt

runt propter aduncham vltimum ſ. eſſe f. ob id duplici ff notauere. Ideo autem duplici ſſ. adnotarunt, vt ſignificarent ſſ. hoc eſt, ſanctiones ſanctæ, cum leges ſanctiones ſanctæ dicantur, l. 2. ff. de legibus l. leges, C. Eod. Ferandus verò Adduenſis exiſtimat explicationum libro primo in principio duplici, ll. antiquos vſos fuiſſe, quod duplici ff: eſt longè ſimillimum nec ſanè in alio differunt, niſi quod duo ll paulò inferius linea coniunguntur, cur autem duplici ll vterentur, id eſt, inquit ipſe, quia quinquaginta libros ſignificare volebant: nam l. quinquagenarium numerum ſignificat, & Pandectæ quinquaginta libris continentur. Vel etiam inquit ipſe, libros legum intelligebant, aut fortaſſe & melius, leges tantùm. uam leges, vt Valer. Probus docet per duplex ll. ſcribi ſolebant. Sed quomodo factum ſit hoc, quòd digeſta duplici ff. & Paragraphus ſic §. notaretur, cum iam Iuſtinianus prohibuerit, leges per ſignorum obſcuritates conſcribi vt conſtat ex l. 2. §. eandem C. de veter. Iur. Enucleand. non ſatis video niſi dicamus hoc à Doctoribus factum fuiſſe non ab ipſo Iuſtiniano, nec ab ipſis iure conſultis qui DD. ſicut in alijs rebus ita etiam in hoc ab ipſius, Iuſtiniani, Imperatoris præceptis receſſerunt. Vel etiam dicere poſſumus, prohibuiſſe quidem ipſum Imperatorem ſigna, per quæ olim Veteres notabant leges, legem enim clauibus, ff. de contrah. Empt. ſigno clauis adnotabant, Auth. alearum, C. de Aleat. aleis decorabant, & ſic de ſimilibus. Sed non alias abbreuiationes, nec lineas, vt §. aut. ff. quæ nullam pariunt obſcuritatem, ſicut alia ſuperiora ſigna, quæ præmiſimus: imo ipſemet Iuſtinianus admiſit nomina prudentum, & Titulos, ac librorum numeros, per conſequentia literarum manifeſtari, vt idem Rebuffus ſupra citato loco tradit.

Finis Primæ Pandectarum Partis.

Digitized by Google

Frater Zaccarias Inquiſitor Paduæ.

Octauius Liuellus pro Sereniſſima Republica Veneta.

Paulus Emilius Ghelinus Vicarius pro Illuſtriſsimis Rectoribus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google